* CIBUS NON ADHIBITUS.

A **Abſque Cibo Vivunt Pleraque Animalia.**

Quamvis nullum animal ſit, quod abſque alimento vivere diu poſſit, tamen nonnulla apud Scriptores reperire eſt, quæ vix aliud vice alimenti hauriunt, quàm aerem, ventumve. Eſtque inter illa Cameleo, de quo Tertullian. quod ſemper jejunus, & indefectus oſcitans veſcitur follicans ruminat de vento cibos. Verùm de illo diximus ſuo loco, in hac littera C.

In vita Artaxerxis ſcribit *Plut.* aviculum apud Perſas nomine Rythacem, qui vento, & rore alitur.

In Africa monſtrum eſt, quòd Haiit vulgo appellant, quod nemo edere vidit. Unde abſque cibo ſubſiſtere putatur. Unde & Barbari ſuis mapalibus detinuere, ut periculum facerent.

Rodeletius narrat, hominem fuiſſe, qui annis XI. Romæ enutritus ſola aeris inſpiratione. *Lib.* 1. *de Piſcib. c.* 13.

Plinius tradit Indorum quandam Gentem ad extremos fines, halitu, & odore ex pomis vitam porogare, ſuſtentari *Lib.* 7. *c.* 2.

Fama eſt, Democritum Abderitanum Philoſophum mellis, B & calidi panis repetito odore, quatriduo famem ſuſtentaſſe. ☞ *Conſule Tit. de Fame.*

*** Ciborum Benedictio.**

☞ *Multa in particulari de hoc argumento diximus ſub Tit. de Benedictione. Ubi accuratè ex lucubrationibus potiſſimùm Jacobi Gretzeri, adduximus eum ritum per antiquum, & omnino congruum: Formulas item varias, & exempla cùm veterum tuum recentiorum. Quibus hìc nonnulla addemus.*

Benedictionis ciborum antiquitas, & uſus.

Exempla S. Scripturæ.

In lege veteri hoc etiam uſu receptum fuiſſe, ut cibi benedicerentur, antequam ſumerentur, colligi poteſt ex reſponſo dato Sauli de Samuele interroganti, 2. *Reg. c.* 9. Cùm veneritis in civitatem, invenietis eum priuſquam vadat in excelſum, ubi comedet: neque enim populus comedit donec ille veniat: nam ipſe benedicit hoſtiæ, poſteà comedunt invitati.

Judæos igitur orationes certas præmittere ſolitos, certiſque benedictionem formulis uſos, colligi poteſt *ex c.* 6. *Deuter.* & loco allegato *ex l. Reg.* Chriſtus Dominus quoties cibum C ſumpſiſſe legitur, toties etiam illum benedixiſſe reperitur. Paſcebat hominum 5000. quinque panibus, & duobus piſcibus, eoſque ſublatis in cœlum oculis benedixit. *Matth. c.* 14. quòd narrans Joannes, Accepit ait Jeſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit, *c.* 6.

Diſcipulis in Emaus euntibus dum ſe comitem præbet, & ad ipſos divertit, Factum eſt, inquit *Lucas*, dum recumberet, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis *Cap.* 94.

Apoſtolus Paulus *ad Timoth.* ſcribens ait: Quià omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur. 1. *Epiſt. cap.* 4. ☞ *Quære Eucbariſt. inſtitutio.*

Exempla Historica.

Apud Chriſtianos mos invaluit, menſam jam inſtructam ait *Polyd. Virg.* ſacris quibuſdam ſanctificare verbis, priuſquam veſci incipiant. Immò tantum ille mos apud primos Chriſtianos invaluit, & à primis naſcentis Eccleſiæ Præſulibus ſervatus fuit, ut *Tertull.* tanquam de re uſitata loquens, D dicat, Oratio auſpicatur, & claudit cibum. Quo facit *Diſtinct.* 44. *c. nullus.* Quando conveniunt Presbyteri ad convivium, aliquis illorum verſum ante menſam incipiat, & cibum benedicat.

Immò *Chryſoſt. hom.* 79. *ad pop. Antioch.* Menſa ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largius omnia adfert bona. *Et hom.* 56. *in Matth.* meminit formulæ ab Eremitis uſurpari ſolitæ.

Prudentius verò hanc præſcribit

Te ſine dulce nihil, Domine,
Nec juvat ore quid appetere,
Pocula ni prius, atque cibos,
Chriſte, tuus favor imbuerit,
Omnia ſanctificante fide.

Et ſub finem:

Da locuples Deus hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata lavent.
Neu piger immodicis dapibus, E
Viſcera tanta gravet ſtomachus,
Soſpitet ut jecur incolume.

Benedictionis Epitheta, Et Cauſæ.

Vocatur ab Apoſtolo Benedictio menſæ gratiarum actio: qui veteres exemplo Chriſti eam à gratiarum actione auſpicabantur. Item verbum Dei; fit namque per invocationem Chriſti, aut SS. Trinitatis: immò ordinariè apud Eccleſiaſticos fiat adhibita aliqua ſententia è S. Scriptura. Tertiò dicitur oratio. Eſt enim propriè invocatio. *Epiſt.* 1. *ad Timoth. c.* 4.

Cauſæ verò ſunt. Tum quod iſtiuſmodi precatione omnia profiteamur nos à Deo habere, & accipere, ac pro iis gratias referimus: tum quod proteſtemur nos velle cibo veſci ad Dei honorem, eumque velut Deo offeramus: tum quod oremus, ut ſumptio illa nobis eveniat ſalutaris tam animæ, quàm corpori: neve magica aliqua incantatione inficiatur. Unde ex uſu Eccleſiæ ſignum Crucis addimus, quo veluti cibos expiamus. De quo paulo poſt. F

Benedictionis Omissæ Pœna.

S. Greg. l. 1. *Dialog.* 4. narrat, Dæmonem invaſiſſe Monialem, quòd lactucam comediſſet non præmiſſa benedictione. Unde Chryſoſt. contra iſtiuſmodi veneficia remedium præſcribit, Crucis ſignum, & benedictionem.

Usus Apud Gentiles.

Teſtis eſt *Plutarchus in Sympoſiacis*, Gentiles cibum Diis, conſecraſſe antequam ſumerent: idque velut illis τὰς ἀπαρχάς, id eſt, primitias; ac deinde non indecorè, ac tumultuariè, ſed religioſè ad convivium tanquam ad ſacrum epulum acceſſiſſe.

De Naucratitarum populis memorat ex Athenæo *Laur. Beyerl. in Promptuarii ſui moralis parte hyemali, feria* 2. *Paſchæ textu* 7. quod poſt accubitum ſurgant, ac in genua procidant, præcone præeunte patrias preces, ſimul eas profundant, quibus perſolutis menſæ denuo accumbant.

Idem narrat ex Sozomeno, quòd cùm Daphnim Antiochiæ oppidum veniſſet, ſacerdos Apollinis cibum imperatorium prius oratione luſtraverit. *Sozom. l.* 3. *hiſt. c.* 14.

Eò etiam ſpectat Proverbium, Ne à Chytropode cibum G nondum ſacrificatum rapias: quod in eos dicitur, qui pecudum inſtar advolant ad capiendum cibum, qui mos eſt apud pleroſque Italos.

Infideles. Turcas.

Bartholomæus Georgevix meminit, apud Turcas quoque formulam uſurpari benedicendi cibum, eamque præmittere. Uti etiam teſtantur legati Chriſtianorum ad eos miſſi.

Indos.

Calecutanos ſolenni carmine ſumendas dapes Dæmonibus offerre refert idem. *Beyerlinck ſuprà.*

Manichæorum Formula Horrenda.

☞ *Quære in Titulo de Benedictione. §. Benedictio menſæ ſive ciborum.*

Itaque ſi apud Ethnicos, Turcas, Indos, Barbaros, religioſa habetur menſa, quanto magis oportet eſſe ſacram Chriſtianis? apud quos, ut eleganter, quemadmodum nonnulla alia, Eraſmus, habet imaginem ſacri illius convivii, quod Dominus Jesus poſtremum egit cum diſcipulis ſuis. H

* CIBORIUM.

Dicit Athenæus Ciborium poculi eſſe ſpeciem. Et Heſychius nomen eſſe Ægyptium ἐπὶ ποτηρίῳ? & ſcyphum ſive poculum ſignificare. Apud Chriſtianos ſumpta ſimilitudine Ciborium vocamus vas illud, ſive pixidem, qua continetur S. Euchariſtia. Ita ut Latini, & Galli voce familiari Ciboire illud nomen uſurpent. Alioquin vox eſt Græca: & in hiſtoria revelationis capitis Joannis Baptiſtæ ſumitur pro theca, ſive loculamento iſtius capitis ſacri.

Interim vox perantiqua eſt: ut cujus meminit *Zonaras Tom.* 3. *Annal.* ubi de Juſtiniano. Menſæ enim ſacræ κιβώριον nominat.

Et Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſt. comparat cum arca, in qua erat Sancta Sanctorum: dici enim ait, arcam Hebraicè Cib. extat vocis ejuſdem uſus apud *Joann. Diaconum in vita Sancti Georgii*, & alios

* Cica-

A

* Cicadæ.

Ubi.

☞ *Conſule Tit. de Loco, §. Loca particularia.*

Cicadam garrulitatis inanis ſymbolum extuliſſe notavit *Pierius in Hieroglyph.* Unde Demetrius Philoſophus à Domitiano pulſus Italia, cum Apollonio querebatur, cicadis licet impunè obſtrepere, nobis ne mutire quidem fas eſt.

Notant autem fœminam, quæ alioquin ex natura loquacior, in hac ſpecie taciturnam eſſe, quòd referunt aliqui ad frigiditatem.

Habet hoc Cicada, quòd regionem, in qua naſcitur, incolat, nec aliò permeet. Immò apud Athenienſes generis, & nobilitatis ſymbolum fuit, & apud eos inſtitutum, Cicadas ex auro in capite geſtare, quo ſigno indigenæ ab advenis ſecernebantur.

* Ciconia.

Quaſi Cicania, à ſono, quem roſtro edit.

B Mira ſunt, quæ de hoc animali traduntur. Naſcuntur plerumque in calidis regionibus circa loca paludoſa, ubi ranæ, anguillæ, aut alia animalcula in cibum reperiunt. Unde ſub hyemem à nobis avolant catervatim, & ineunte verè redeunt ad locum, unde exierant, uti à multis obſervatur. Ædium faſtigia, & acroteria plerunque inhabitant, & ſolent in ſignum gratitudinis, ac pro jure hoſpitii, pullum annuè pendere, quem è nido proiiciunt: quaſi hero hoſpitii mercem ſoluturæ.

Erga genitores ſenio confectos miram exercent pietatem eos fovendo, & implumes tegendo, atque alimentum miniſtrando, ita ut gratiam illis rependant, quam ab iiſdem tota vita acceperunt. Unde & gratitudinis, & pietatis erga parentes ſunt ſymbolum, quod Antuerpiæ ante certam domum, cui ciconia pro inſigni eſt, legitur his verſibus annotatum, quibus ita loquens ciconia inducitur:

Præſcia ſum veris venturi, hyemiſque futuræ:
Exemplum ò vobis Juvenes, pietatis amatæ
Longævos erga, charoſque inſigne parentes.

Inter omnia animalia præter crocodilum lingua carent, ſolentque quotannis dum ad aliam Regionem migrant, certo loco C congregari, & ſimul catervatim avolare. Quin ſi aliqua fortè manſerit, quæ reliquas comitata non fuerit, ubi redierint, eam occidunt, & velut ream agunt.

Ciconias olim menſæ illatas edicto prætorio tradit in *Ser. Horat. lib.* 2. *Sat.* 2. Idque auctore quodam Ruffo viro prætorio, qui cùm in prætura repulſam paſſus eſſet, ejuſmodi ſcazonte proſciſſus fuit.

Ciconiarva Ruffus ille conditor,
Hic & duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem,
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Notus eſt verſus ille *Perſianus*:

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Ubi ciconia illuſionis nota habetur, eo quòd inſolentiores homines ſi quem ludibriis inceſſere volunt, digitis ſoleant exporrectis roſtri ciconiarum ſpeciem referre, & velut pinſendo illudere: vel aures aſininas veſte, aut manu exprimere.

De Attila Hunnorum Rege memorant hiſtoriæ, quomodo D à ciconia augurium acceperit occupandæ Aquileæ, nam cùm triennium eam obſediſſet, & attriviſſet, jamque de ſolvenda obſidione cogitaret, ciconia prehenſo nido unà cum pullis urbe excedere viſa fuit, unde ſummam inopiam in urbe præſagiit, oſtenſoque militibus augurio, eadem paulo poſt potitus fuit. *Munſterus in Coſmogr.*

Cicuratores.

DOMITORES, ET CURATORES ANIMALIUM

Domant. Domitores, Curatores.

Magiſtri animalium quorumvis.

☞ *Ut varia ſunt animalia, ſic varia quoque cicurandi ratio: ſive vi humana, aut divina, ſive arte domentur. Hìc eos, qui vel arte, vel miraculo bruta manſuefecerunt, perſequimur, ſive utilitatem, ſive voluptatem tantùm ex illis percipiant.*

Nomen autem accipiunt à *Cicur*, quòd ſignificat non ferum, à *Cicum Varro* deducit *lib.* 6. à veteri Cico; quòd eſt diſcerno. Græci τιθασὸν dicunt, quod nos vocamus Cicurum. E

Elephantorum.

Indi ex captis elephantis eos, quos nec juventus, nec ſenectus inutiles facit, in ſtabula ducunt, & pedibus invicem vinctis, & collo ad columnam bene compactam, fame domant, deinde herba, vel arundine viridi reficiunt, dehinc obtemperare docent, alii oratione, alii cantu aliquo, vel tympani ſonitu deliniti. Rari ſunt, qui non facilè manſueſcant. Sunt enim à natura mites, & manſueti, & ad rationale animal proximè accedunt. Quidam aurigas ſuos, qui in certamine ceciderint, ex prælio eximunt. Quidam anterioribus pedibus utero ſuo ſubjectos ſervaverunt. Quòd ſi quem ex curatoribus per iram interfecerint; adeò illum deſiderant, ut præ mœrore à cibo abſtineant, interdum etiam ad mortem obdurent. *Strab. l.* 16.

Porus (quem Alexander debellavit) habuit elephantum, qui rectore jubente procumbebat in genua, & ſe ſubmittebat. *Curtius.*

Cupiebat Baſilides Moſcus antiquis heroibus par haberi. F Igitur cùm ab adulantibus Alexandri Macedonis titulo honeſtaretur, captus inani cupidine tanti bellatoris acta ſuperare, Elephantum dono miſſum, ita domare ſtatuit, ut ſe cùm ſatellitibus prætereuntem, genua confeſtim diſceret incurvare. Itaque multis menſibus eam conſuetudinem diligenter obſervavit, ut rutilante primùm aurora, belluam in conſpectum ſuum adduci, ejuſque frontem acutiſſimo ferro tranſverberari juberet, futurum ratus, ut tot cruentis ictibus admonita, venerationi principis paulatim aſſueſceret. Sed in tam dementi propoſito multum, ac diu ridiculè fatigatus, cùm fruſtra veſtigium aliquod in bruto pectore quæſiviſſet, ne bellua majeſtatis opinionem obſequio ſuo comprobaret, indgnatione accenſus, in fruſtra eam diſcerpſit. *Paulus Oderbonius in ejus vita.*

Equorum.

In Pindar. Pythiis obſervatum, & ab interpretibus enarratum curioſius, Neptunum à mythicis appellatum tradi Petræum, quod olim ſuper ſaxo conſopitus urinam profuderit genitalem, unde enatus ſit equus primus, quem dixere Scyphion. G Lactantius verò grammaticus, in Theſſalia terram tridente percoſſam ſcribit à Neptuno, ex quo mirum, proſilierint equi duo, Scyphios, & Arion, inde nata Theſſalicorum equorum præſtantia. Quia verò equitandi artem, id eſt, τὴν ἱππικὴν, primus excogitarit Neptunus: inde factum opinatur *Pauſan. in Arcad.* ut dicatur ἵππιος, potiùs quàm cauſa alia: quando & in equorum certaminibus Homerus per Hippium Neptunum jurare Menelaum fingit. Sed & qui hymnos ſcripſit antiquiſſimos, Pamphus, Neptunum dicit ἵππων δωτῆρα, id eſt, equorum datorem. Servius, grammaticus, in contentione cum Minerva de Athenarum nomine, ab Neptuno litore percuſſo, equum ſcribit productum. *Cæl. lib.* 21. *cap.* 24. *A. L.* Communia epitheta apud omnes gentes habet, quòd ſit Pelagæus, Aphaliæus, & Hippius. *Pauſan. in Acaicis, & Diodorus l.* 6.

Apollonii enarrator Seſonchonſem Ægypti regem primum inveniſſe equum aſcendere ſcribit. *H. Comes l.* 2. *c.* 8.

Frænos, & Ephippia Pelethronii, Theſſaliæ populi primi invenerunt. Iidem domandorum equorum uſum primi H docuere. *Virgil. in l.* 3. *Georg.*

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere
Impoſiti, dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Plinius l. 7. idem affirmat. Hos quoque primos equorum ungulas munire ferreis ſoleis cœpiſſe ferunt. Numidæ (teſte *Appiano in lib. de rebus Libycis*) equo nudo, id eſt, ſine ephippiis, in bello utebantur. Bigas primum Phrygum natio junxit, ut *Probus, & Plinius* auctores ſunt. Quadrigis verò Erichthonius primus eſt uſus: nam cùm Vulcanus, *auctore Ovidio in* 2. *Metam. & Servio ſuper* 3. *Georg.* impetrato à Jove Minervæ conjugio, & illa reluctante, ſemen libidinis projeciſſet in terram, inde natus eſt puer draconteis pedibus, qui appellatus eſt Erichtonius, quaſi de terra, & lite procreatus: nam ἔρις eſt lis: & χθὼν terra. Is ad tegendam pedum fœditatem primus equis, & curribus uſus eſt. *Polydorus de invent. Rerum.*

A
Equo primùm omnium vehi Bellerophontem Glauci regis filium docuiſſe, *Plin. in 7.* eſt auctor, qui Pegaſum alatum equum, cùm in Chymæram iret, aſcendit.

Italiam primi Auſones inhabitarunt indigenæ. Antiquiſſimum in ea virum aſſerunt, fuiſſe nomine Marem, cujus anterior facies homini, poſterior equo ſimilis fuerit, id quod Græcis ſonat Hippomiges. Fabulæ anſam dedit, quòd primus Mares equos domare docuerit, quod idem de Centauris quidam putant. *Ælian. lib. 9. de Var. hiſt.* Alii tamen Theſſalum fuiſſe Marem ajunt.

Sybaritæ equos in convitiis ad tibiæ ſonum ſaltare docuerunt. Sed ipſi ſui luxus pœnas dederunt, à Crotoniatis victi.

☞ *Vide ſub loco Stratagematum, Equos hoſtium inutiles reddere.*

Onagrorum.

Helenus Abbas fatigatus ſarcina, quam ferebat, onagrum juſſit accedere, & dorſum oneri ſubmittere. Paruit fera: & quàm longè Sancto placuit, onus ipſum pervexit. Idem à reperto crocodilo flumen prætervectus eſt, cùm neque pons adeſſet, nec appareret portitor. *Raviſius.*

B

Canum.

A. Fabricius prætor ſub Nerone, cùm ad certamina in publicis ſpectaculis equos commodè ſibi parare nequiret, canes doctos currus agere pro equis primus introduxit. *Dion. Nicæus.*

Leonum.

Plut. in lib. cui titulus πολιτικὰ παραγγέλματα, Annonem coactum ſcribit vertere ſolum exilii cauſa, quòd in expeditionibus leonem haberet σκευοφόρον, id eſt, ſarcinas ferentem, veluti eſſet id argumento eum τυραννικὰ φρονεῖν, id eſt, ad tyrannidem aſpirare. *Cæl. l. 3. c. 19.* *A. L.* meminit hiſtoriæ *Plin.* ſed aliter, in hæc verba, *l. 8. cap. 16. Nat. hiſt.* inquiens: Primus leonem manu tractare auſus, oſtendere manſuefactum, Hanno è clariſſimis Pœnorum traditur: damnatuſque illo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vis tam artificis ingenii videbatur, & malè credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas.

Antoninus Caracalla, Rom. Imp. habebat leonem, quem
C
Acinacem nominabat. Alebat autem eum inter complures alios: & non tantum publicè deoſculabatur, ſed ad menſam etiam, lectumque admittebat. Conſtat etiam eundem Antoninum à leone admonitum eſſe, ne domum egrederetur, cùm exeuntem dentibus teneret. Cui cùm non obtemperaſſet, interfectum eſſe. *Dion. & Xiphilinus.*

Zozimo Abbati paruit agreſtis leo.

Cervorum.

Tyrrheo pecoris magiſtro cervus fuit manſuefactus, & quem Sylvia puella pectebat, ornabatque violis. *Virgil. lib. 7. Æneid.*

—— ſoror omni Sylvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, menſæque aſſuetus berili,
Errabat ſylvis, rurſuſque ad limina nota
Ipſe domum ſera quamvis ſe nocte ferebat.

Idem *Ovid. l. 10. Metam.* de cervo Cypariſſi ſcribit.

Sertorius, inſignis ille Romanus Hiſpanorum dux contra Romanos, cervam aluit, quam in expeditionibus ſuis habebat
D
ſemper comitem fingens Dianæ eſſe numen, à quo res gerendas auſpicaretur. *Plut.*

Cynocephalorum.

Cæl. prodit, Cynocephalos in Ægypto litterarum doctus perdidiciſſe, & ſaltationum geſticuloſos motus.

Serpentum.

Heraclides Ponticus, philoſophus, draconem habuit manſuefactum, eunti, & quieſcenti ſolitum adeſſe, & aſſiſtere velut comitem. *Laert. in ejus vita.*

Thoas Achaicus draconem domi diù fovit. Conſiderans demùm quàm periculoſum eſſet ſerpentem alere, ipſum in ſolitudines procul tulit, atque ibidem reliquit. Quo facto rediens, cùm incidiſſet in latrones, & inſtantis periculi metu acclamaſſet, audita hominis voce, advolavit draco, & adversùs vim latronum ſuppetias attulit. *Ælian. l. 13.* hoc Patris Achajæ accidiſſe teſtatur.

Philippus Apoſtolus draconi imperavit, ut innocuus abiret in latebras, nemini prorſus injurius.

E
Didymus Abbas, & anachoreta, colubros, & ſerpentes innocuè pedibus conculcabat. *Raviſius.*

Tigridum.

Tigrim Romæ oſtendit in cavea manſuefactam Auguſtus Cæſar. *Raviſius ex Plinio.*

Luporum.

Mandato Euſtorgii Mediolanenſis Epiſcopi, lupus jugo ſe ſubmiſit, & jugum traxit, quo tria Magorum corpora advehebantur in Italiam. Priùs enim devorarat duo jumenta, quibus currus ipſe trahebatur. *Raviſius.*

Urſorum.

Corbiniani Epiſcopi Romam euntis cùm urſus aſinum devoraſſet, devorati loco ipſe ſarcinam vectavit, imperante ſancto præſule. *Raviſius.*

Pythagoras urſam omnibus formidoloſam, & conſpicuam feritate, apud ſe placidam, & exarmatam aluit, quam dimiſſurus, verbis neſcio quibus, & quodam velut jurejurando adegit, ut nulli cunctorum animalium faceret injuriam. Abiens illa ſe conjecit in latebras ſylvarum, ſummaque fide præſtitit, in quod adjurata receſſerat. Idem bovi ſegetes abrodenti, cùm verba quædam magica in aurem ſufflaſſet, eumque monuiſſet, ut inferendo agricolis damno parceret, ajunt
F
obedientiſſimum bovem à lacerandis frugibus deſtitiſſe. Credat, qui volet. Hoc tamen prodit *Cælius ex veterum monumentis.*

Sindrigal Lituaniæ princeps poſt Vitoldum, urſam habuit quæ horis matutinis relicto nemore domum ejus accedens, fores pedibus percutiebat, apertoque hoſtio porrectum capiebat cibum. *Raviſius.*

Avium.

☞ *Conſule locum Stratagematum, Litteras occultè ſuis mittere.*

Marthes Rex Ægypti cornicem habuit adeò cicurem, & manſuefactam, ut quoquò juſſiſſet ille, epiſtolas deferret, non ignorans, quò tranſuolandum eſſet, aut ubi confidendum. Agrippina, conjux Claudii Cæſaris, turdum habuit imitantem ſermones hominum. Habebant & Cæſares juvenes ſturnum, & luſcinias, Græco, Latinoque ſermone dociles. Fuit corvus Romæ, qui ſermoni aſſuefactus, horis matutinis in roſtra, & forum devolans, Tyberium, Germanicum, & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Romanum ſalutabat. Cecinna Volaterranus, equeſtris ordi-
G
nis comprehenſas hirundines victoriæ nuncias amicis mittebat cum litteris, quas earum pedibus ferendas alligabat. Columbæ epiſtolas pedibus annexas, obſidione Mutinenſi in caſtra conſulum pertulere, D. Bruto mittente. *Raviſius è Plinio.*

Severus Abbas paſſerem habuit manibus intrepidè advolantem, & porrectum capientem cibum, ſylveſtres relicto nemore intrepidè advolabant ad Maxentium Abbatem Pictavienſem, ejus manu tritici grana, & fruſtula panis roſtro decerpentes. *Idem.*

CICURATIONIS INVENTORES.

☞ *Conſule Titulum de inventione.*

Cilicium.

Ejusque Usus, Et Utilitas.

☞ *Quis primùm invenerit, cujus rei ſignum olim: exempla utriuſque teſtamenti, & ſexus, aliaque huc facientia quæ-*
H
rantur in titulo de Diſciplinis, cùm propriè ad illum ejus tractatio ſpectare videatur.

* Cingari, ſive Cingani.

Cur Ita Vocentur, Unde Venerint. Et quod hominum genus?

Accuratè de Cingaris ſcripſit poſt omnes alios *Philippus Camerarius in horis ſubciſivis parte 1. capite 17.* cujus proinde lucubrationes viſum fuit hìc adferere. Ita enim habent.

Notum eſt Germanis, & alibi, hominum genus vagum, & inutile, qui *Zigenner* vulgò, apud Italos Cingari, ab Hiſpanis Gittani, à Gallis Ægyptii, apud Belgas *Heydenen*, quaſi Ethnici, ſive Gentiles appellantur.

Quos

A
Quos aliena juvant, propriis habitare moleſtum,
Faſtidit patriam non niſi noſſe ſolum.

De quorum origine, & unde veniant, diverſi diverſa ſentiunt. Quidam enim putant, eos originem ducere à Chuſo, quem ferunt filium fuiſſe Cham, & oriundos eſſe ex Ægypto & Æthiopia, atque adhuc uſque progenitoris maledictionem luere per totum orbem vagantes. Alii, inter quos eſt *Polyd.* volunt, eos eſſe Aſſyrios, & Cilices. *Volaterran.* credit illos ab Uxiis ex Perſia ortum ſuum habere. Sed aliter rem ſe habere experientia oſtendit. Nihil enim aliud ſunt, quam Manipulus furum, ut ille ait, & colluvies otioſorum, & fraudulentorum hominum, ex variis nationibus, non ita remotis, ſed vicinis collecta, qui extra civitates in agris, in triviis tentoria erigentes, latrociniis, & furtis, deceptionibus, & permutationibus, atque ex chyromantica divinatione oblectantes homines, iis fraudibus victum mendicant. Fabulas quoque meras fingunt, ſibi ex patriis ſedibus neceſſariam migrationem, neſcio quibus de cauſis eſſe injunctam: ſi ſecus fecerint, & non quotannis hordas ſuas: id eſt, multitudinem hominum utriuſque ſexus exulatum miſerint; calamitatem & ſervilitatem certam omnibus præſto eſſe.

B
Pierius in Hieroglyphicis nonnullos ſcribit hoc hominum genus ab ave Cinclo (cujus pictura veteres extremæ paupertatis hominem ſignificare voluerunt, unde proverbium, teſte Suida, ortum: Pauperior Liberide, & Cinclo) nomen accepiſſe. Ita enim inquit: Cum Cinclus inops adeò ſit, neque certo uſquam lare utatur, nonnulli errones illos, qui nunc totum terrarum orbem mendicabundi, cum Chyromanticis uxoribus, & liberis peragrant, nuſquam domos certas habentes, quos vulgò Cingaros vocamus, Cinclos avis hujus nomine ab ejus ſimilitudine appellatos arbitrantur &c. Unde Eraſmus ait, Ruſticos, mendicos, & errones Cinclos vocare, adducit teſtimonium Æliani, qui dicit hoc genus hominum Græcos ἀνεστίους nominare, hoc eſt, expertes penatium.

Cæterùm ut rectius cognoſcamus, civitates ſint impoſtores iſti, audiamus Albertum Crantzium, cujus hæc verba ſunt. Cùm ageretur à Chriſto annus decimus ſeptimus poſt mille quadringentos primum apparuere his noſtris maritimis locis, ad mare Germanicum homines nigredine informes, excocti ſole, immundi veſte, & uſu rerum omnium fœdi, furtis
C
imprimis acres, præſertim fœminæ ejus gentis. Nam viris ex furto fœminarum victus eſt. Tartaros vulgus appellat. In Italia vocant Cianos, Ducem, Comites, milites inter ſe honorant. Veſte pro more nobilitatis, venaticos canes alunt, ſed ubi venentur, niſi furtim, non habent. Equos ſæpe mutant, major tamen pars pedibus graditur. Fœminæ cum ſtratis, & parvulis jumento invehuntur; Litteras tum prætulerunt Sigiſmundi regis, & aliquot principum, ut tranſitus illis per urbes, & provincias incolumis permittatur, innoxiuſque. Ferunt ipſi ex injuncta ſibi pœnitentia mundum circumire peregrinates, ſed fabellæ ſunt. Hominum genus, quod uſu compertum eſt, in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoſcens patriam, ita circuit, furto, ut diximus, fœminarum victitans, canino ritu degit: nulla religionis illi cura: in diem vivit: ex provincia demigrant in provinciam: per aliquot annorum intervalla redeunt, ſed multas in partes ſcinduntur, ut non eidem in eumdem facilè redeant, niſi per longa intervalla, locum. Recipiunt paſſim & viros, & fœminas volentes in cunctis provinciis, qui ſe illorum miſcent contubernio. Collu-
D
vies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, ruſticæ plebi graviter imminens: ubi foris illi laborant in agris, hi ſpoliis invigilant caſellarum.

Avent. quoque hanc impoſtorum progeniem ſuis vivis coloribus depinxit, cujus verba ex *Annal. Bojorum*, inſerere operæ pretium exiſtimavi: Eadem tempeſtate (anno videlicet poſt natum Chriſtum MCCCCXXXIX.) furaciſſimum, inquit, illud genus hominum, colluvies, atque ſentina variarum gentium, quæ in confinio imperii Turcarum, atque Ungariæ habitant (Zigenos appellamus) Rege Zindelone noſtras peragrare cœpere regiones. Furto, rapina, divinationibus, impunè prorſus victum quæritant. Ex Ægypto ſe eſſe mentiuntur, extorreſque domo à ſuperis cogi majorum delicta, qui Deiparam virginem cum puero Jeſu, hoſpitio excipere recuſarint ſeptem annorum exilio expiare impudentiſſimè confingunt, experimentis cognovi uti Venetica lingua, & proditores, atque exploratores eſſe, cùm alii, tum imprimis Maximilianus Cæſar Auguſtus, & Albertus parens principum noſtrorum publicis edictis teſtantur. Adeò tamen vana ſuperſtitio hominum mentes veluti lethargus invaſit, ut eos violari nefas putent, atque furari, graſſari, imponere paſſim impunè ſinant. *Hæc Aventinus.*

E
Tale genus hominum futile, & deteſtabile in Aſia apud Mahumetanos, paſſim quoque vagari hiſce noſtratibus Europæis Cingaris, ſceleribus, impoſturis, furtis, aliiſque nefandis vitiis, multis nominibus ſuperiores, ipſiuſque Turcis prudentioribus, (licèt ſub titulo ſanctitatis ſeſe tueantur) ob hypocriſim deteſtabiles, eoſque vulgò Torlau vocari Nicolaus Nicolai, Andreas Thevetus, & alii plures in ſuis peregrinationibus teſtantur. Canones ſanè, & qui in eos commentaria ſcripſerunt, tamque peccatum grave contra primum præceptum Decalogi, reputant: ſi aliquis peregrinatores Cingaros de fortuna ſua percunctabatur animo credendi id, quod illi reſponderint; quamvis ex curioſitate, vel ridendi gratia ſi quis faceret, non pro lethali culpa habeatur, niſi perſona talis eſſet conditionis, ut ex illa interrogatione alii graviter offenderentur; tunc enim ratione ſcandali gravius cenſetur peccatum.

* Cingulum.

☞ *Vide Zona.*

F

* Definitio, et Etymologia.

Cingulum à cingendo dicitur, eſtque ornamentum tam virorum quàm fœminarum, quo tam caput, quàm veſtes media corporis parte conſtringuntur. A Græcis dicitur ζώνη Latinè Zona. Item περίζωμα, & διάφραγμα: A Theodoro cinctus: ab aliis cingulum appellatur. Item baltheus, lora. Varro cinctum à cingulo hoc differre exiſtimat: quòd cinctus viris, cingulum fœminis conveniat. Sunt & qui cingulas dicunt, eaſque brutorum proprias. Cinctum aliquando pro toto amictu accipimus. *Virgil. Cinctuque Gabino*, quamvis alii intelligant togam in tergum rejectam, quali utebatur Conſul Rom. bellum indicturus.

☞ *De Zonarum varietate, uſu, in genere, & in ſpecie, earumque Symbolis, atque aliis huc facientibus, Vide in loco de Zona.*

Cinœdi.

☞ *Vide ſub Titulo de libidine.*

G

* Cinis.

Definitio, & Etymologia.

Eſt pulvis, in quem materia uſta redigitur, κόνις Græcè. Dicitur ab incendio, juxta Iſidorum.

SIGNUM LUCTUS Apud Judæos.

Solebant olim cinerem aſpergere ſuper caput, ſi quid triſtius eveniret: unde proverbium apud veteres erat, in cinere ſedere, pro eo quòd eſt pœnitentiam agere, vel contriſtari. Unde etiam Chriſtus comminatus Corazaim, & aliis civitatibus, dicit: Olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Exempla autem ejus, quod diximus,
H
obvia ſunt.

Thamar poſtquam cum ea concubuit Ammon frater ſuus, egreſſa à facie Abſalonis, aſpergebat cinerem capiti ſuo, clamans, &c. *2. Regum cap. 13.*

In 4. libro Eſdræ cap. 9. v. 38. teſtatur Eſdras, oſtenſam ſibi Mulierem lugentem, & plorantem voce magna, cujus veſtimenta diſciſſa, & cinis ſuper caput ejus.

Eliacim ſacerdos facta concione ad populum ſuper afflictione, quæ imminebat Bethuliæ, & omni Eccleſiæ ab Aſſyriis, adeò omnium corda permovit, ut ſacerdotes Domino offerrent holocauſta præcincti ciliciis, eratque cinis ſuper capita illorum. *Judith. c. 4.*

Mardochæus poſtquam intellexit decretum Aſſueri Regis, quod ad inſtantiam Aman adverſus totam gentem Judæorum emanarat, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti. *Eſther. c. 4.*

In omnibus quoque Provinciis ad quas crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat, ſacco, & cinere multis pro ſtratu utentibus. *Ibid. c. 3.*

Job etiam confitetur, Operui cinere carnem meam. *C. 16.* A Et iterum, ago pœnitentiam in favilla, & cinere. *Cap. 42.* David, quoque cinerem ait, tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam, *Pſ.* 101.

Sic Jeremias hortatur filiam Sion, conſpergere cinere *c. 6.* ita etiam *c. 25. Thren. 2. 3. Ezech. 27. Dan. 9. Jonæ 3.*

Iſraelitæ timentes exercitum Lyſiæ tempore Machabæorum *l. 1. c. 3.* jejunaverunt, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo. Item ſimile habetur *c. 4.*

Instrumentum Expiationis.

Olim de juſſu cineres vaccæ ruſæ, quæ offerebatur pro expiatione peccati, & ad immunditiam tollendam, ſubſerviebant pro aqua expiationis, ſive luſtrationis, ſi quando aliquis mortuum contigiſſet. Unde probabile eſt eos miſſos Hieroſolymis per univerſam terram Chanaam, cùm ibi duntaxat vacca ruffa immolaretur. *Num. c.* 10.

Fuit autem hæc aqua figura aquæ noſtræ benedictæ, per cujus aſperſionem multiplex nonnunquam immunditia tollitur, B prout ſuprà Titulo Benedictio particularis, dicitur.

Circini inventio.

☞ *Quære inter inventa.*

Circi. Circenſes ludi.

☞ *Quære ludus.*

* Circulatores.

Qui?

SUnt, qui per fora, & compita fabulis, præſtigiiſque in corona homines detinent, & ludificant, & ſumitur nomen illud plerumque in deteriorem partem. Videtur de hoc hominum genere loqui in Actis *Luc. c. 19.* dum ait: Tentaverunt quidam, & de circumeuntibus Judæis (ἀπὸ τῶν περιερχομένων) invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus immundos, invocare nomen Domini. Eſt namque Simia Dei diabolus, C ideòque per ſuos; opera miniſtrorum ipſius exequitur.

De his circulatoribus lege *Celſum l. 5. de re medica cap. 5. Porphyr. l. 1. Sat. 2. Horat. Prudentium Hymno de Rom. martyr. Hier. ad Paulin.*

* Circulus lacteus.

EST orbis in cœlo ambiens, oculis ſubjectus, cùm alii decem potius cogitatione quàm viſu comprehendantur, ut ait *Macrob. l. 1. cap. 15. in ſomn. Scipion.* Nihil autem eſt aliud juxta communem ſententiam, quàm zona quædam colorem lactis referens, conſtans ſtellarum minutarum frequentia, quarum condenſato lumine albicet, ſive luminis ipſius reflexione candorem, & ſplendorem emittit. Niſi dicamus eſſe partem denſiorem octavæ ſphæræ, ſplendidam, & albicantem.

Heroum, & virorum fortium animas in hunc locum recipi fabuloſa vetuſtas aſſeruit, quod & Cicero tetigit in ſomnio Scipionis, qui error juxta Philonem *libro de plantat. Noe*, ex Angelorum obſcura notitia, quam Gentes habuerunt, qui- D bus nomen heroum dederunt, emanavit. Alia fabula fuit, eum Circulum ex lacte Junonis effuſo promanaſſe. De qua *Hyginus lib. 1. Aſtronom. & Manilius, qui lib. 1. Aſtrorum,* poſt deſcriptionem Zodiaci, hujus etiam commenti meminit.

Nec mihi celanda eſt famæ vulgata vetuſtas
Mollior, è niveo lactis fluxiſſe liquorem
Pectore reginæ Divum, cœlumque colore
Infeciſſe ſuo. Quapropter lacteus orbis
Dicitur, & nomen cauſa deſcendit ab iſta.

Denique per hunc circulum iter eſſe ad Palatium Jovis, *Ovidius in Metamorphoſi lib.* 1. recenſet. Ita autem ſcribit.

Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.
Hàc iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum: dextra, lævaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis, &c.

* Circumciſio. E

Quando Instituta?

CEleberrimum inter reliqua veteris legis Sacramenta, fuit Circumciſio in lege naturæ inſtituta à Deo, & præcepta Abrahæ, & poſteris ejus, *Gen. c. 17.* his verbis. Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſervum tuum poſt te: Circumcidetis ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Ita Deus ad Abraham.

Cur.

Circumciſionis præceptæ cauſam Deus indicavit, pactum F ſive fœdus inter illum, & poſteros Abrahæ. Itaque primaria illius cauſa fuit, ut per eam conſignaretur populus Dei: ſecundariò tamen delebat peccatum originale in pueris, & actualia in adultis, conferebatque gratiam non virtute ſuæ inſtitutionis, ut ſacramenta à Chriſto in nova lege inſtituta, ſive tanquam inſtrumentum gratiæ; ſed virtute paſſionis Chriſti, quam præſignabat, quod omnibus veteribus Sacramentis commune eſt, ut tanquam cauſæ morales, ut loquitur *Greg. à Valent. 3. p. q. 70. punc. 11.* ad efficiendam in ſuſcipiente gratiam adhiberentur. Unde rectè infert S. Chryſoſtomus, Inſenſatos, ingratos, ac mente puerili eſſe Judæos, qui hoc etiam tempore obſervent Circumciſionem, & obſervari velint à nobis, cùm nunc omnes gentes beneficio veritatis ad lucem adductæ ſint. *Hom. 39. in Gen.*

Usitata Olim.

Abraham accepto à Deo circumciſionis præcepto, tulit Iſmael filium ſuum, omneſque vernaculos domus ſuæ, univerſoſque, quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcidit carnem præputii eorum ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus. Eratque nonaginta, & novem annorum, quando ſe circumcidit. *Gen.* 17. G

Poſtquam Sara peperiſſet Abrahæ filium Iſaac, juxta ea, quæ ei Deus promiſerat, circumcidit eum Abraham die octavo. *Gen.* 21.

Etiam Sichimitæ perſuaſu filiorum Jacob, propter conſtupratam Dinam, ſeipſos circumciderunt, omneſque trucidati ſunt. *Gen.* 34.

Moyſi in itinere verſus Ægyptum conſtituto occurrit Deus, volebatque eum occidere ob neglectam Circumciſionem filii ſui. Tulit ergo Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit carnem præputii filii ſui. *Exod. c.* 4.

Nemo poterat comedere Agnum Paſchalem niſi circumciſus. Unde inter alia præcipitur: Omnis ſervuus emptitius circumcidetur, & ſic comedet. *Exod. c.* 12.

In deſerto non erat uſus Circumciſionis propter iter quotidianum, & dolorem ex circumciſione in infantibus, qui commodè transferri non poterant. Ac ſimulac requiem habuit populus, Deus mandavit Joſue, Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael. Fecitque Joſue quod juſſerat Dominus, & circumcidit filios Iſrael in colle præputio- H rum. Populus enim omnis, qui natus fuerat in deſerto per annos 40. incircumciſus erat. *Joſue c.* 5.

Achior videns virtutem Dei quàm fecerat per manum fœminæ (Judith videlicet) relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael, & omnis ſucceſſio generis ejus. *Judith. c.* 14.

Tempore Machabæorum occidebantur Mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, juſſu Regis Antiochi. 1. *Mach. c.* 2.

Eodem Antiocho regnante, Duæ mulieres delatæ fuerunt natos ſuos cicumcidiſſe: quas infantibus ad ubera ſuſpenſis cum publicè per civitatem circumduxiſſent, per muros præcipitarunt. 2. *Mach. c.* 6.

Quamdiu Duraverit.

Deus dans legem circumciſionis, vocat pactum ſempiternum: quod ideò dicitur, quia abſque ullis temporis determinatione duraverit; longo videlicet tempore, ut minus annis mille nongentis ſeptuaginta octo: & tamdiù, quamdiu fœdus, atque promiſſio venturi Meſſiç completetur.

Cujus

Cujus Rei Figura.

A Imprimis fuit figurativa Baptiſmi Circumciſio, ut docent paſſim Patres, & Paulus Apoſtolus de Chriſto dicit, qui eſt caput omnis principatus, in quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta: quem locum de Baptiſmo accipiunt. Itaque circumciſio in quantum erat ſignaculum fidelium, erat figura baptiſmi, & velut præparatoria ad illum. *Vide Damaſcen. l. 4. c. 26. Chryſoſt. hom. 39. in Gen.* Fuit etiam figura circumciſionis ſpiritualis, quæ fit in corde. De qua frequenter Apoſtolus.

RITUS, ET CEREMONIÆ.

Imprimis Circumciſio fieri debebat maſculis in membro generationis. Ita enim dicitur: Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, &c. Rationem hujus rei aſſignat D. Thomas, quia circumciſio fuit ſignaculum fidei Abrahæ, qua credidit Chriſtum ex ipſo naſciturum: atque ideò poſita eſt in organo generationis, quoniam Chriſtus ex Abraham deducendus erat ſecundùm carnem. Addunt alii, quia inſtituta etiam erat in remedium peccati Originalis, quod per actum carnalis generationis traducitur: & ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ, ſive ſupernaturaliter illam B imminuendo per gratiam, ſive ſignificativè: nempe eandem per Chriſtum diminuendam.

Secundo præcipiebatur octavo die in puerulis, qui dies ſaltem neceſſitate præcepti erat neceſſarius. Unde propter infirmitatem, aut aliam cauſam poterat differri, ut in deſerto dilata fuit. Interim parvulis ante diem octavum aliud remedium fuiſſe; quomodo etiam contritionem adulto, omnino eſt dicendum. Rationem octavi diei D. Thomas dat, quia ante illum propter infantum teneritudinem, periculoſa: poſt illum, magis doloroſa ob carnis obdurationem fuiſſet circumciſio, SS. Patres volunt adumbratam quietem reſurrectionis, quæ die octavo facta eſt, Dominico nempe: cunctique homines poſt 7. mundi ætates, demum octava reſurgent.

Tertiò fiebat Circumciſio cultro petrino: cujus nullum extat præceptum, ſed exemplum dumtaxat in Sephora, & Joſue, nihil autem ſimile de Abraham narratur in Geneſi: neque Judæi modò utuntur cultris petrinis, ſed ferreis. Quod verò fuerit adhibitus cultris petrinis, cauſa fuit, tum quod vulnus per petram inflictum citius curetur: tum maximè ratione myſterii: ſignificabatur enim Circumciſionem ſpiritualem facien- C dam per Chriſtum, qui eſt vera Petra.

Denique imponebatur Circumciſo nomen, quomodo hoc tempore baptizatis imponitur. Exemplum habes in Iſaac, & Salvatore.

Quoad locum, nihil de eo certi legimus. Unde Abraham in domo ſua circumcidit ſeipſum, & domeſticos. Chriſtus in Bethleem circumciditur.

Etiam de miniſtro nihil certi habemus. Nunc enim Abraham, nunc Sephora, id eſt, tam viri, quàm fœminæ, hoc miniſterio fuerunt perfunctæ.

CIRCUMCISIO USITATA TEMPORE Legis Gratiæ.

Salvator noſter, qui venerat non legem tollere, ſed adimplere, etiam illam, quæ erat de Circumciſione facienda, tenello ſuo corpore, octavo poſt nativitatem die adimplevit: & nomen illud auguſtiſſimum Jeſus conſecutus eſt.

Quoad verò lex Chriſti ſufficienter non erat promulgata, obligabat, & obtinebat lex Circumciſionis, quæ facta eſt mortifera, poſtquam baptiſmus ſufficienter innotuit. Quin aliquo etiam tempore tam circumciſio quàm Baptiſmus ſuſ- D ceptus fuit: illa tamen mox deſiit apud Chriſtianos penè omnes. Quod addo propter Æthiopes, & Indos, de quibus ſtatim.

CIRCUMCISIO IN USU APUD Æthiopes.

Apud Æthiopes, ſive Indos Chriſtianos ſuperſtitiosè retinent Circumciſionem etiam cum Baptiſmo, & quidam excuſant eos à peccato mortali, quia id facere dicuntur dumtaxat in memoriam generis ſui. Dicentes ſe oriundos ex Abraham, & Regem ſuum ex familia David: aut ex devotione imitandi Chriſtum, cum alioquin ſciant ſe non obligari, neque fidem ponant in Circumciſione.

MAHOMETANOS.

☞ *Vide Tit. de Religione, §. Mahumetana Religio conſiderata ſecundùm formam.*

JUDÆOS. E

☞ *Conſule Titul. de Religione. §. Judæorum Religio.*

Arabes.

Etiam quoad mulieres.

Auctor eſt *Strabo lib. 16.* Creaphagos in Arabia circumciſionem retinere à majoribus acceptam, etiam circa mulieres ipſas.

Et de Andramite Lydorum Rege narrat *Xanthus l. 1. Rerum Lydar.* Eunuchas inciſas eſſe.

Strabonis autem commentum eſt, Judæos legem accepiſſe, qua cùm viri, tum mulieres jubentur circumcidi.

Ceterum non ea propriè Circumciſio dicenda eſt, ſed exciſio: non περιτομὴ, ſed ἐκτομὴ, de qua medici.

* Circumcelliones.

CIrcumcelliones è Donaſtitarum factione, veluti perfectiores exorti ſunt. Qui titulo vindicandæ veritatis, in Orthodoxos relictis cellis, & agris, in quibus ſolitarii vivebant, ſæviebant, eos pugnis, dein etiam ferro excipiendo, & in obvios quoſque graſſando more latronum. Adeò ut tempore D. Auguſtini, coram Arcadio, & Honorio Imp. conqueſti Epiſcopi id effecerint, ut imperio magiſtratus Africæ, & militari manu coercerentur. F

Circumforanei.

Qui, Et Quales.

HOmines viles, & contemptibiles, qui merces diverſi generis, inſuper & operam ſuam per varias & urbes, & fora circumferunt, lucroque inhiant. Unde locum illum *Lucæ in Actis capite* 17. De vulgo viros quoſdam malos, Græcè τῶν ἀγοραίων τινὰς ἄνδρας πονηροὺς interpretantur de Circumforaneis. Et talis colluvies erat accuſantium Apoſtolos, ſuprà *c. 17. in Actis.*

Itaque communiter circumforaneos dicimus, qui per urbes, & nundinas errando, nugis, & ſtrophis quæſtum cap- G tant, dum tranſeuntes detinent ſive fabulis ſuis, ſive geſtibus, ſive exhibitione alicujus novitatis. Ut ita nummum aliquem intereà emungant, & merces ſuas, quæ ordinariè ſunt ad tollendum aliquod vitium corporis, aut medendum alicui malo, divendant. Genus hominum mendax, & temerarium, ac noxium in Republica, niſi quòd in celebrioribus urbibus tolerentur, ut recreent.

Apud Venetos in celeberrima area, quam S. Marci vocant, varia horum genera reperies: ſuntque plerumque Bergomates: quomodo apud nos, id eſt, Belgas, è Flandria oriundi. Habent enim linguam magis volubilem, & ad quævis amplianda naturaliter proclivem. De Venetis ita cecinit. *Greg. Sabinus.*

Area lata patet Marci contermina templo:
Illo turba frequens itque, reditque loco.
Marmarides ibi Pſyllus erat, quem poſſe ferebant
Neſcio qua nocuum tollere virus ope.
Ille venenatam ſuſpenderat aſpida collo,
Et lambenda nigris anguibus ora dabat.
Elegiarum l. 2. H

Circumſpectio.

Definitio, & Etymologia.

CIrcumſpectio virtus eſt, quæ conſiderat ea, quæ agenda ſunt in omni negotio, ſoror providentiæ, quæ adverſus pericula tuetur ſe habentem, & fortunæ vim deſpicit, nihilque per temeritatem committit, cujus aliquando pœniteat. Eſt verbale à Circumſpicio, quod ſignificat huc, atque illuc oculos converto, ac omnia conſidero. περισκοπῶ Græcè. Hac niſi caruiſſet, Q. Cepio conſul contra Cimbros, Cn. Metello auſcultaſſet, nec tam temerè adverſus ferociſſimam gentem irruiſſet: quo in prælio octoginta Romanorum millia cæſa fuere: ipſe profugus Romam perpetuis carceribus vitam miſeram finiit. *Val. Max. l. 6. c. 11.* Unde patet, quàm ſit.

CIR-

A CIRCUMSPECTIO MAXIME UTILIS IN BELLO.

Fabius ille Cunctator, qui Maximi nomen promeruit, hac virtute excelluit, & per eam Hannibalis vires compreſſit, docuitque eum, quantum momentum in bello haberet conſilium, & circumſpectio.

Romani autem videntes cunctatione Fabii Punicum furorem compreſſum, viribus rem agere contendunt, & Fabio collegam deputant Marcellum virum acrem, qui nullam unquam pugnam detrectavit, & quadrageſies victoriam reportavit. Unde brevi horum provida circumſpectione res Romanorum fuit inſtaurata. Præclarè Silius Italicus *lib.7. Punic. bell.*

At ni ſacra ſeni vis, impreſſumque fuiſſet,
Siſtere cunctando fortunam adverſa tuentem:
Ultima Dardanii tranſiſſet nominis ætas.

☞ *Vide Locum de Providentia.*

* Circumſtantia.

B DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

Circumſtantia, Græcè περίστασις dicitur, & eſt accidens, actus humani, attingens eum extrinſecè *ſecundùm B. Thom. 1. Secundæ q.7. art.1.* ita dicta, quòd rem vel actionem circumſtet.

ATTENDENDA IN OMNI RE.

Temporibus quibuſdam, aut officiis debitis, aut rerum neceſſitatibus ſæpè evenit, ut & voluptates repudiandæ ſint, & moleſtiæ non recuſandæ. Itaque earum ſic tenetur à ſapiente delectus, aut ut reiiciendis voluptatibus majores alias conſequatur, aut perferendis doloribus aſperiora repellat. *Cic. l.1. de Finibus.*

Debemus conſiderare in omni re quid aptum ſit, & conſentaneum tempori, & perſonæ, tum quid in dictis, factiſque dedeceat. Quòd ſi poeta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam, cùm probam orationem affingit improbo, ſtultove ſapientis: ſi denique pictor ille vidit cum immolanda Iphigenia, triſtis Calchas eſſet, mœſtior Ulyſſes, mœreret Me-
C nelaus, obvolvendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari: ſi denique hiſtrio quid deceat, quærit, quid faciendum oratori putemus? *Orat. ad Brut.*

Etiam Theologis conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, in quantum conſiderant actus humanos, ſecundùm quod homo per eos ordinatur ad beatitudinem: & in eis invenitur bonum vel malum, melius vel pejus, meritorii vel demeritorii, ad quod vel plurimum momenti habent Circumſtantiæ. Ita *S. Thom. 1.2. q.7. ar.2. in corpore.*

QUÆ? *Varietas ſecundùm varios.*

Circumſtantiæ variæ numerantur à Rhetoribus, Juriſperitis, & Theologis.

Rhetores ſic enumerant cum Cicerone *l.1. de Inventione.* Ejus conſtitutionis eſt controverſia, cum aut quem, aut qui cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat. Vocant enim Rhetores hæc attributa.

Juriſconſulti has numerant. Cauſam, id eſt cur, perſonam, locum, tempus, qualitatem facti, ideſt quomodo, quantita-
D tem ut in furto, aut parvum, an magnum ſit, quæ circumſtantia ad Quid pertinet ex mente S. Thomæ. Denique numerant eventum. Ita *in lege aut facta ff. de pœnis.*

Circumſtantias VII. agnoſcit *S. Thom. 1.2. q.7. a.1. & 2.*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

S. Bonav. 14. Circumſtantias recenſet.

Aggravat, ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Eſt modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

E quibus ſex priores ſunt circumſtantiæ perſonæ, tres actionis, tres cauſæ: duæ verò extrinſecæ, locus, & tempus.

Ariſtot. verò Circumſtantias ſingulares ita enumerat *l.3. Ethic.* Quis item ſanè, & quid, & circa quid, vel in quo agat nonnunquam, & quo velut inſtrumento, & cujus gratia, ut ſalutis, & quomodo, ut ſenſim, & vehementer.

Qui plura volet, de hoc argumento conſulat *Comment. in 1.2. S. Thomæ* loco allegato.

Citati, Citatio.

E AD TRIBUNAL DEI.

☞ *Habes de hoc pleraque exempla memorabilia, & illuſtria, in loco de appellat. §. de appellatione ad Judicium divinum.*

* Cithara, Citharœdi.

Cithara inſtrumentum eſt Muſicum, ſonum reddens ſuavem. Vox eſt Dorica, quæ pectus ſignificat, vel quod humani pectoris formam initio habuerit: vel quod ſicut à pectore, ita ex ipſa cantus, & melodia eduntur. Ita Caſaubon. At nimis id generale omnibus inſtrumentis. Verùm interim eſt, quod cithara nonnunquam accipitur non pro ſpeciali inſtrumento, quod hoc nomine appellamus, ſed generalius pro quocunque, quod manu pulſatur, & dirigitur. Unde & Liram hoc nomine vocant, & teſtitudinem, atque ita ſumendam eam vocem Geneſis 4. Interpretes plerique autumant.

F INVENTOR.

Ex S. Litteris conſtat Jubal filium Lamech, fuiſſe inventorem organi, & Citharæ. Unde ab hoc Jubal, qui fuit jucundus, jubiloſos, & Jovialis, Latini deducunt ſuum jubilum, & jubilare. *Gen. c.4.*

USUS, ET VIS.

Apud Alexandrinos olim maximus uſus Citharæ, & reliquorum Inſtrumentorum Muſicorum. Ut etiam pauperrimus quiſque ea pulſare noſſet, & inopiæ tædium hac velut modulatione falleret. Quomodo nunc in Italia, ſubulci, opiliones, & caprarum, ac aſinorum curatores, citharam pulſant magis peritè, quàm alibi honeſtiores.

Peritiſſimus fuit etiam David Citharæ, de quo hiſtoria ſacra Regum narrat, quod cum malignus Spiritus Saul Regem exagitaret, David tollebat Citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus. *1. Reg. c.26.*

In Eccleſia olim tam Judæorum, quàm Chriſtianorum, in G
concinendis Dei laudibus citharam adhibitam, conſtat ex variis hiſtoriis.

Etiam *S. Joannes* in Apocalypſi audivit voces citharizantium inter illos, qui Deum laudabant. *c.5. & 14.*

Et *S. Aug. in Pſalm. 32. conc.1.* dicit, Citharas ab Eccleſiaſticis officiis repulſas, quia Gentiles ad luxum, & libidinem in theatris, convitiis, & ſacrificiis eo tempore utebantur. Itaque abuſus aliquis vetitus, non verò ſi piè, & ſobriè, ac graviter iis utamur.

Laudatur apud *Æmilianum lib.14. c.123.* Clinias Pythagoræus, quòd ſi quando in iram ſe præcipitem ferri ſentiret, chordis aptatis citharam pulſaret, & mitior redderetur. Quod etiam de Achille memoratur, ſcilicet furorem, & indignationem illam hac etiam citharizatione ſopiviſſe.

Civitas. Cives.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

Civitas Græcè πόλις, unde πολίτης civis, eſt civium ſocie- H
tas, quæ conficitur ex pluribus pagis, eſtque ex his, quæ natura ſunt. *Ariſt. l.3. polit.*

Iterùm, Eſt multitudo civium, quæ per ſe eſt ſufficiens ad vivendum.

Tertiò, Eſt multitudo domorum agro, & pecuniis ſufficienter abundans ad benè vivendum. *Ex libris Oeconomic.* Unde Cives dicti à ciendo, quod in unum locum convocentur.

Denique eſt natura quædam animata: & ſicut animal benè diſpoſitum ſecundùm naturam, componitur ex quibuſdam proportionatis partibus invicem ordinatis, ſuaque opera ſibi mutuo, & ad totum communicantibus. *Ariſt. l.1. & 5. polit. cap.2. & 3.*

APPELLATIO VARIA.

Ea autem hominum ita in commune habitantium multitudo, & ſocietas, primum nomen urbis conſecrata eſt, hujus enim meminit, & liber Geneſeos, & Interpres Latinus illud
A expreſſit.

Varro urbem dici affirmat, quod aratro præfinita, & *Pomponius* Juriſc. urbem dictam aſſerit, quod urbare ſit aratro definire: Urbium, optimum vetuſtiſſimorum verborum indagatorem præthereà dixiſſe ait, curvaturam aratri appellari, quod in condenda urbe adhiberetur.

Civitatem poſteà dixerunt, quaſi civium cohabitantium unitatem. Et hanc diſtinctionem civitatis ab urbe ponit Ariſtoteles, quod urbs propriè mœnia ſint, & ædificia. Civitas verò ipſi cives.

Denique Oppidum vocata fuit illa ſocietas, ut *Varroni* placet, quod opis cauſa muniatur. Item mœnia quaſi munia, quod muniant habitatores: Unde & murus à munitione appellatur.

☞ *Vide multa in loco de Urbe.*

CIVITATUM PRIMI CONDITORES.

Primus, qui primam civitatem condidit, fuit Cain, eamque nomine filii ſui vocavit Henochiam. Fuit hæc prima in orbe civitas, in qua non dubium habitaſſe Cain, ac deſiiſſe jam eſſe profugum ſub finem vitæ, nam juxta Joſephum, non
B ſtatim ac à Deo profugit, ſed facilè 400. aut 500. annis poſt, cùm jam filios, & filias, nepotes, nepteſque genuiſſet, qui Henochiam incolerent, eam condere civitatem cœpit. Ita *S. Aug. l.15. de Civit. Dei cap.8.*

Fuiſſe autem Henochiam conditam circa Libanum montem, qui eſt ad Orientem in comparatione Regionis Damaſcenæ, & fuiſſe urbem ampliſſimam, & habitationem Gigantum, refert *Beroſus Ammianus in lib. de Temporibus.*

ERRORES DE URBIUM, ET CIVITATUM *Primo exordio.*

Ariſt. qui mundum æternum exiſtimavit, nullum exordium civitatum ædificandarum ſtatuit.

Poetæ aureo ſæculo, Saturno imperante, nullas urbes fuiſſe, ſed ſub Jove tandem inceptas extrui, qui poſt Diluvium regnavit, comminiſcuntur.

Ægyptii perſuaſerunt Soloni, urbem Athenarum novem annorum millibus conditam ante Solonis ætatem: nonnulli Thebas antiquiſſimas jactarunt.

Græci exiſtimarunt Cecropem auctorem primæ urbis, & Cecropiam nominatam, alii tamen Argos primam fuiſſe autumant conditam à Phoronæo. Verùm Cecrops Moyſi, &
C Phoronæus Jacob Patriarchæ ævo conterminus fuit.

Quos omnes confundit ſacer textus, de Henochio loquens à Cain condita.

Vult S. *Aug.* ſuprà, Henochiam fuiſſe figuram Romanæ urbis. Ut enim hujus conditor exiſtitit fatricida Cain, ita etiam illius.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

URBIUM ÆDIFICANDARUM CAUSA.

Cauſam urbium condendarum ab hominis natura repetit *Ariſt. l.1. Polytic.* Cùm enim homo animal ſit ſociabile, & ſocietatem, ac communionem inter ſe habere & ratio docuit & experientia ita homini convenire eſt teſtata. Primùm enim ait in privatis domibus habitatum: exinde pagi extiterunt, ex his ædificatæ civitates. An tamen ita in mundi exordio factum fuerit, incertum eſt.

Plato cenſuit civitates inventas, ut ſe homines adversùs ferarum rabiem tuerentur. *In Protagora.*

Fortaſſis Cain impulit, ut cuncta ipſius familia in unum locum congregaretur, cujus ipſe caput, & pater eſſet, ad condendam civitatem.

D Priores cauſas univerſim recolligens *Franc. Senenſis* ait: Cùm homines cernerent, quantæ utilitatis foret humana ſocietas, quàmque facilius victum compararent plures ſimul, cùm ita uberior rerum copia adſit, tutiuſque à ferarum incurſu degeretur, ſi plures unirentur: familias familiis adjungere, domum domui, & ita civitates, in quibus populariter habitarent, condere cœperunt, & commoditates ſuas in iis excogitare.

RATIO, ET PROGRESSUS.

Rude interim, & inconcinnum fuit urbium exordium, neque enim initio muris munitæ, aut propugnaculis cinctæ, ſed ut *Halicarnaſſeus* refert, aggeribus tantùm, & arborum truncis, ſive in altum erectis, ſive mox inter ſe contextis, & implicatis cingebantur. Quomodo olim Galli, & Germani, ut *Hubertus Leodius* tradit, urbes ſuas extruebant, trabes enim debitis intervallis diſtantes in ſolo collocabant, eaſque denſo aggere veſtiebant, interpoſitis grandioribus ſaxis: eaque ratione & ab incendio, & arietis robore muniebantur: cum ignem lapis, arietem agger, & trabes repellerent.

Tandem opibus creſcentibus, muri circundari, foſſæ, & propugnacula excitari cœperunt: præſertim accedente homi- E
num induſtria in urbibus occupandis, expugnandiſque, laborari etiam debuit, qua tandem ratione munirentur. Unde & muralis corona mox decreta illi, qui primus murum hoſtilis civitatis aſcendiſſet.

DIGNITAS, ET ORNAMENTA.

Ornamenta vera civitatum *B. Chryſoſt.* paucis verbis inſinuat, *ſerm. 17. ad Pop. Antioch.* Diſce, inquit, quid ſit civitatis dignitas, & tunc manifeſtè ſcies, quòd ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo civitatis dignitatem. Non quòd Metropolis ſit, neque quòd habeat ædificiorum magnitudinem, & ornatum, neque quòd ante civitates prædicetur: ſed inhabitantium virtus, & pietas, hæc eſt dignitas, & ornatus, & tutela civitatis: ita ut ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licèt infinitum ab imperatore conſequatur honorem.

PLAUTINA VIRGO, Perſa, Act.4.

OPPIDUM, *Si incolæ benè ſunt morati, pulchrè munitum arbitror.*
Perfidia, & peculatus ex urbe, & avaritia, ſi exulant:
Quarta invidia: quinta ambitio, ſexta obtrectatio; F
Septima perjurium .... octava indulgentia:
Nona injuria: decimum, quod peſſimum aggreſſu ſcelus.
Hæc niſi haberent, centuplex murus rebus ſervandis parum eſt.

FELICITAS, ET INFELICITAS.

Enimvero ea demum civitas felix nominanda eſt, non quæ ex promiſcua hominum colluvie multos cives temerè colligit, ſed quæ antiquiſſimas, & primas familias maxime conſervare ſtudet. Hi etiam viri in præclaris habendi ſunt, non qui potiti imperiis ſævitiam in cives exercent, aut majores opes ac potentiam, quam par, & æquum eſt, habent: ſed qui maximis honoribus digni ſunt, & illis tamen contenti vivunt, qui populi voluntate ipſis contigerunt. Nam tali authoritate nemo ſive privatus, ſive magiſtratus, neque honeſtiorem, neque tutiorem: neque pretii majoris, aut magis expetendam ſuſcipere queat. *Iſocrates de Pace.*

Plaut. in Mercatore.

Ergo mihi alios penates deos perſequar, alium larem.
Aliam urbem, aliam civitatem, ab Atticis abhorreo. G
Nam urbi mores deteriores increbeſcunt indies.
Ubique eripiatur Animo tuo, quod placeat maximè.
Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupida civitas.

Civitas profectò, in qua cives ad expetendos magiſtratus minimè ambitioſi ſunt, optimè, & procul à ſeditionionibus permanet: contra verò, quæ aliter affectos habet cives. *Plato in 7. dial. juſt.*

Neque poterit in civitate excellentes cuiquam conferre honores, quia divitiis præſtet, aut quia velox, aut formoſus, aut robuſtus ſit, ſi virtute careat: ſed neque etiam ſi virtutem aliam habeat quandam, temperantiam verò non habeat. At verò juſtitia ſine temperantia originem habere nullam poteſt. *Idem 3. de Legib.*

(Sophocles in Ajace.

Οπȣ δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ' ἃ βȣ́λεται παρὰ
Ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
Εξ ȣ̓ρίων δραμȣ̃σαν εἰς βυθὸν πεσεῖν.
Αλλ' ἑςάτω μοὶ δέος τὶ καίριον.
Καὶ μὴ δοκῶμεν δρῶντες ἂν ἡδώμεθα,
Οὐκ ἂν τίσειν αὖθις ἂν λυπώμεθα,
Ερπει παραλλὰξ ταῦτα. H

Ubi injuriari, & quævis pro libidine facere licet.
Illam civitatem exiſtimandum eſt tandem
Ex bono ſtatu recedentem in profundum ruituram.
At mihi tempeſtivus aliquis metus conſtituatur,
Et ne putemus ſi quid libentes fecerimus,
Non lušturos nos pœnam olim dolentes:
Eſt in his rebus viciſſitudo.

(Menander.

Εἴπερ τὸν ἀδικοῦντα μὲν εἷς ἠμύνετο
Εκάςος ἡμῶν καὶ συνηγωνίσατ'
Ισως νομίζων ἴδιον εἶναι τὸ γεγονὸς
Αδίκημα καὶ συνέπραττον ἀλλήλοις πικρῶς.
Οὐκ ἂν ἐπὶ πλεῖον τὸ κακὸν ἡμῖν ἤργατο.
Καὶ τυγχάνοντες ἧς ἔδει τιμωρίας.
Ητοι σπάνιοι σφόδρ' ἂν ἦσαν, οἱ πεπαυμένοι,

Si injuriarum authorem ulciſceretur
Unuſquiſque noſtrum, & una propugnaret,
Aeque ac ſi propria ſibi eſſet facta.

Injuria

Injuria: & cives vehementi ſtudio mutuam jungerent
A *operam,*
Non ampliùs nobis calamitas inciperet
Improborum hominum, ſed obſervati,
Et meritam pœnam luentes,
Vel admodùm eſſent rari, vel prorſus deſinerent.

Ecquis omnium ignorat, felicitatem neque magnificis murorum ſtructuris, neque civium numeroſa multitudine vel quæri, vel contineri, ſed ſapientibus, ac moderatis Reip. gubernatoribus? Eſt enim anima civitatis nihil aliud quàm adminiſtratio illius, quæ minor eſt, quàm in corpore anima: videlicet hæc eſt, quæ de omnibus conſulit: ſimul conſervans profectum, ſimul nocivum devitans. Huic oportet & leges, & oratores, & privatos homines eſſe ſimiles, & ſic unumquemque agere, prout illam ſit nactus: hac depravata nos nihil habemus, penſi nec ſoliciti ſumus, quemadmodum redintegretur. *Iſocrates in Areopagiticæ oratione, ſeu de veteri Athenienſium Republica.*

DE EODEM ARGUMENTO
Apophthegmata.

B

Solon illam civitatem optimè habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici: contra autem improbos pœnis, mos fuerit.

Pythagoras dixit, primùm luxuriam civitates ingredi, deinde ſaturitatem, poſteà contumeliam, poſtremò exilium.

Alphonſus Arragonum rex interrogatus: quos è civibus haberet chariſſimos, qui magis, inquit, pro me metuunt, quàm me. Sentiens illos eſſe ex animo amicos, qui principem magis amant, quàm timent.

Antiſthenes interrogatus, quomodò ad rempub. eſſet accedendum, reſpondit: ut ad ignem, neque nimis prope, ne uraris: neque longius, ne frigeas.

Solon rogatus, quomodò civitas in optimo ſtatu degeret, dixit: Si cives quidem magiſtratui obediant, magiſtratus autem legibus.

Demoſthenes, leges civitatis animam eſſe dixit. Ut enim exanime corpus procumbit, ſimiliter civitas, ſi leges abſint, non conſiſtit.

Euſebius, in civitate ſtudioſa felicitatis nunquam opes anteponi debent virtuti, ne hanc ob cauſam omnibus divitiarum C deſiderio captis, contemptus, & neglectus virtutis innaſcatur animis in Republ. civitatis decus cuſtoditur, & conſervatur, cum magiſtratus reverentia, & honores debiti integrique manent.

Lycurgus, cuidam percontanti, cur Sparta mœnibus non cingeretur, oſtendit cives armatos: Hi, inquit, ſunt Spartanæ civitatis muri. Significans, Reſpub. nullo munimento tutiores eſſe, quàm virtute civium.

Cùm alius illi cujuſdam civitatis muros tutos admodùm oſtendiſſet, rogavit, num pulchri viderentur: reſpondit Lycurgus, Pulchri per Jovem! ſed mulierum cauſa, non virorum extructi ſunt. Sentiens non aliis mœnibus muniendam eſſe civitatem, quàm civibus ſtrenuis.

Dicente quodam apud Theopompum ideò ſervari Rempubl. Spartanam, quòd Reges ſcirent imperare: Immò, inquit potiùs, quòd cives ſciant parere. Multùm enim habet momenti principis integritas: ſed multò plus civium recta inſtitutio, & obſequium.

Panthoidas legatus, in Aſiam miſſus oſtendentibus murum probè munitum, per Deos, inquit, bellum conclave D mulierum:

Agis Archidami F. cum præteriret Corinthiorum mœnia, conſpiceretque excelſa, munitaque eſſe, & in longum porrecta ſpatium. Quæ ſunt (inquit) mulieres, hunc locum inhabitantes? Innuens, fortibus viris non eſſe opus mœnibus. *Plut. in Lacon.*

Ageſilaus, cùm quidam interrogaſſet, cur Sparta mœnibus non cingeretur: Cives armis inſtructos, & unanimes oſtendit, & ait: Hi, hi, ſunt urbis mœnia. Significans, eam demum civitatem munitam eſſe, in qua infracti, & bene armati milites eſſent. *Plut. in Lacon.*

Iſæus ſophiſta. Cùm olim Lacedæmonii inirent conſilium de civitate mœnibus cingenda, Iſæus ſophiſta, aliis conſultantibus, Homeri hæc recitavit verba.

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir.

Et adjecit: Sic mihi ſtate Lacedæmonii, & muris cincti ſumus. *Phil. in Sophiſtis.*

Cùm Alexander audiviſſet de rupe quadam apud Indos, quæ ob ſublimitatem, velut avibus inacceſſa ἄορνος dicebatur: E quod ipſe quidem locus expugnatu difficilis eſſet, ſed qui eum teneret formidoloſus. Nunc, inquit, locus captu facilis eſt. Significans, nihil prodeſſe munimenta, niſi vir fortis ea tueatur. Arx enim non tam foſſis, ac muris tuta eſt, quàm viris.

* QUI IN CIVITATEM ADMITTENDI.
Ubi De Recta Civitatis Forma.

PUTA.

DE RECTORIBUS, MAGISTRATU, Civibus.

Uſum hic locus inſignem omnibus in cauſarum generibus habet: cùm in deliberativo, quinam admittendi in civium numerum, aut ad hoc excludendi, conſulatur: inveſtigatur, quodnam civium ſit munus, & officium de eorundem cùm præmiis, tum pœnis deliberatur. Neque enim major in urbe, ſeu civitate aliqua, frequentiæ civium, quam nobilitatis, aut probitatis ratio habenda. Et apud *Herodotum* laudantur ab F Hiſtoricis Ægyptii, qui pacis in templo omnium civium nomina publicis conſcripta in tabulis, ac ſuſpenſa habuerunt: celebrantur Athenienſes, qui ſuas ἀνακρίσεις, & excuſſiones civium obſervarunt, quinam veri, ac legitimi, ac adulterini eſſent. Commendatur hoc in Auguſto Cæſare, quòd in jure civitatis dando parciſſimus extiterit; Liviæ quoque uxori ſuæ, pro quodam intercedenti, reſponderit: ferre ſeſe facilius poſſe, ut paucitate civium fiſco aliquid detrahatur, quàm multitudine Romanæ civitatis honos vulgetur. Memorabile denique eſt, quod de Venetis *Sabellicus* ſcribit, eos cùm in condenda urbe occupati eſſent, & multi confluerent: neminem admiſiſſe vel ſervilis fortunæ, vel famæ parum commodæ, ne naſcentem civitatem polluerent. In Demonſtrativo deinde valet, quando bonorum civium virtutes collaudandæ, vituperanda improborum vitia ſunt. In judiciali denique prodeſt, quoties hi accuſandi, illi defendendi: occurrendum iis, qui civium nomine, & titulo inſolenter ad petulantiam, contemptum aliorum, omnis generis ſcelere abutuntur, aut etiam pro civibus falsò ſeſe gerunt, Quin & privatim idem plurimùm commodat: quandoquidem nemo reperitur, qui ἄπολις, & nullius Reipub. civis eſſe cupiat, ut ita res, rationeſque ſuas G cunctis quiſque inſtituat, quo charus ſit civis, laudetur, colatur, diligatur, non odio laboret, & invidia: aut ſi natura quidem civis, voluntate verò hoſtis: ſemper memor illius definitionis, quæ in Vatiniani oratione legitur: Civis eſt, qui patriam ſuam diligit, ac bonos omnes ſalvos, & incolumes deſiderat.

Et quidem ad partes, ſeu ordines urbis alicujus, quod attinet: neceſſarium omnino eſt, ut hi cognoſcantur; quod pro quantitate, & numero, qualitate deinde, & moribus civium Reſpub. omnis conſtituenda, conſervanda, augenda amplificanda. Secus ſi fiat, leges ferri, ordo inſtitui, urbis negotia tractari, bella geri, hoſtes propulſari non poſſunt. *Ariſt. Polit. 3. c. 2. & 4. c. 12* Et difficilè factu Hippodamus Mileſius exiſtimavit, ut colluvio quædam hominum, unis manibus collecta quiete degat: niſi diſtinguatur. *Patric. de Repub. l. 6. tit. 1.* Quia vere civitatis origo eſt χρεία, uſus, ac neceſſitas vitæ: hæc propterea inſtituta, ut mutua communicatione ſeſe homines juvent, & è diverſis muneribus in unam quandam harmoniam conſpirent, *Plato 2. de Repub.*

Hinc tanquam ex fonte manarunt partes, & ordines civium varii apud varias nationes. Inde in ſeptem genera ſuos diſtri- H buerunt: unum Philoſophorum, qui ab omni opere immunes, & præſtantiſſimi ſunt habiti: ſecundùm agricolarum: tertium paſtorum, & ſenatorum: quartum opificum: quintum militum: ſextum ephororum, & præſidum: poſtremum conſiliariorum, & aſſeſſorum regiorum. *Strab. l. 15.* Ægyptii ſeptem habuerunt ordines, quorum primus fuit ſacerdotum; alter pugnatorum; tertius boum paſtorum; quartus ſubulcorum; quintus ruſticorum; ſextus interpretum, poſtremus gubernatorum navalium. *Herodotus l. 2.* Arabes trifariam partiti ſunt Rempubl. in ſacerdotes, agricolas, & milites. *Diodor. l. 6. cap. 10.* Galli, Julii Cæſaris tempore, diviſi omnes in duo fuerunt genera; Druidum, & equitum: quorum illi rebus divinis, ac religioni operam dabant: hi bellis gerendis diſtricti tenebantur. *Julius Cæſar lib. 6.* Apud Athenienſes tres fuerunt gradus: primus nobilium, & doctrinæ deditorum εὐπατριδῶν: alter illorum, quibus agri erant aſſignati: tertius plebis, & artificum. *Diodor. l. 1. c. 2. Plut. in vita Theſei.* Et inter hos illud erat diſcrimen, quod primi, nobiles ſcilicet, & docti, di-

cti, dignitate; ſecundi & milites uſu; poſtremi, opifices, & A artifices, multitudine præſtarent in civitate. *Plut. ibid. Sigonius de Republ. Athen. l. 2. c. 2.* Romani tres quoque ordines civitatis conſtituerunt, unum Senatorium; alterum equeſtrem, tertium plebejum. *Livius l. 2. à condita urbe.* Totidem conſtituit ordines, & *Plato*, ſed diverſa ratione: ut eſſet primus agricolarum, opificium mercatorum, qui cæteris civibus, veluti horum miniſtri, ad vitam neceſſaria compararent: alter militum, qui civitatem tuerentur: tertius cuſtodum, quorum autoritate, & conſilio res tum pacis, tum belli tempore gererentur. *l. 2. de Repub. Ariſtoteles:* ſex ad civitatem eſſe neceſſarios ordines contendit; ſecundùm res, quæ neceſſariò in urbe requiruntur: & conſtituit agricolas primùm, ſeu glebæ addictos, & paſtores, propter victum: ſecundò opifices, propter inſtrumenta varia: tertiò milites, propter arma: quartò divites, propter pecuniam: quintò ſacerdotes, propter rerum divinarum procurationem: poſtremò judices, & Senatores propter judicationes, & conſultationes. *Politic. 7. c. 9.* & hos ordines, qui non obſervat: non primùm animadvertit, confuſione, & perturbatione nihil aſpectu fœdius, ac deformius eſſe. Non attendit deinde id, quod veteres affirmarunt, in B tota rerum univerſitate nihil majus, ac melius reperiri, quam quod certo ordine materiæ quæque diſcretæ, inque ſuis collocatæ ſedibus ſunt. Non tertiò perpendit, eos, qui cives omnes ſic æquare conantur omnibus, ut nihil primum in civitate, nihil poſtremum, nihil medium ſit; perinde facere, atque ii, qui hordeum, frumentum, milium, legumina alia in unum acervum accumulant: qua ex re, & ſingulorum ſeminum, & univerſi acervi uſum amittunt. *Bodin. de Repub. l. 2. c. 8.*

☞ *Civitate eiiciendi validi Mendicantes. Quære Tit. de validis mendicantibus, In loco de Mendicant.*

* ORDO, ET PARTES CIVITATIS.

Quomodo diſtinguendæ.

Ut ordines, ac partes civitatis cognitu & utiles, & neceſſariæ ſunt: ita & illud prodeſt noſſe, quinam in civium numerum admittendi, aut reiiciendi ſint. Et quidem ad peregrinos, quod attinet, quos Albinos nonnulli vocant, quaſi alibi natos; Spartani eſſe cives noluerunt, ne in urbem irrepentes, ſi- C mul introducerent divitiarum amorem, ac ſtudium, luxum, mollitiem, vitia alia. *Xenophon. de Spartana Repub. Plut. in Lac. inſtit. & in vita Lycurgi.* Apud Athenienſes illi ſolùm Athenienſes habebantur, qui ex duobus nati Athenienſibus eſſent. *Plut. in Pericle.* Et propter morum diſſimilitudinem, contrariaque ſtudia, gravibus inter ſe factionibus, peregrinis admiſſis, laborant. Teſtis Syracuſana Reſpubl. *Diodorus libro 11.* Teſtis Londinenſis civitas. *Polydorus lib. 27.* Teſtis urbs Buda. *Bonfinius lib. 4. Decad. 3.* Unde & converſiones ſæpè Rerumpubl. naſcuntur. *Ariſt. Polit. 5. capite 3.* Etiam elati, qui ſunt, ac ſuperbi, aſſueti bellis, facilè manſuetos opprimunt: qui mali, & molles, alios corrumpunt. *Id. Polit. 3. cap. 1.*

Secundò, habenda ratio generis, ortus, familiæ: nothi, ac ſpurii cives fieri non poterant. Et Hebræi ex mandato Domini ſpurios in civitatem non recipiebant ad decimam uſque progeniem. *Deut. 23.* Eſtque in promptu ratio, quia bene conſtituta in Repub. propterea inſtituta matrimonia ſunt, ut certa proles naſcatur. Deinde civitas eſt ſocietas tantùm liberorum hominum. Tum & exempla illa nocent plurimùm: D latam non modo feneſtram, ſed etiam portam aperiunt ad libidines, & ſcortationes. Huc accedit, quod illegitimo thoro, incertoque patre prognati, plerunque turbulenti, aliiſque deteriores ſunt, propter mala principia, & inſtitutionem minus diligentem. Poſtremò, ſi ſpuriis, & nothis hæreditas rectè negatur, & ſucceſſio, multò magis deneganda his civitas videtur. *Ariſt. Polit. 4. c. 6. & in hunc Caſus.*

Tertiò beneficiorum, aut maleficiorum habita quoque ratio eſt: & Iſraelitis Moyſes præcepit, ne Ammonitas, aut Moabitas in civitatem ſuam admitterent, ne quidem decimam in progeniem: eo quòd non ſuppeditaſſent illis cibum, & potum, cùm ex Ægypto progreſſi eſſent. Admiſerunt contra Ægyptios, memores beneficiorum, quod aliquando in Ægypto peregrinati eſſent. *Deut. 23.*

Quartò, ſunt qui inter cives non eſſe numerandos cenſent opifices. Fuerunt in ea ſententia Paleas, & Diophantus. Secutus horum opinionem eſt Epidamus, ſed ineptè, malè, iniquè. Id quod his monſtrari rationibus poteſt. Quia primùm etiam opifices liberi ſunt. Deinde ſublatis opificibus, ad paucita- E tem civitas redigitur. Tertiò iniquum eſt excludere eos velle, qui maxima onera Reipub portant. Quartò non minus bene merentur de civitate quàm milites, qui non excluduntur. Poſtremò inter partes civitatis numerati ante opifices fuerunt, de Platonis, & aliorum ſententia. Nec hic obſtat *Ariſt.* auctoritas, qui *Polit. 3. c. 5.* optimam Remp. non facere cives opifices affirmat. Loquitur enim ille de ſordidis, & illiberalibus, & mercenariis, qui in excrementis civitatis verſantur, & proximi ſervis habentur: & loquitur maximè de Ariſtocratia, non de reliquis Rerump. formis, *Ariſt. 2. Polit. 5. & 3. c. 5.*

Sed non negligendæ facultates ſunt, & opes: ideòque Romæ cenſus fuit ra[illegible]bita: & optima lege judicabatur civis factus, qui dom[illegible]m, qui tribum, qui honorum poteſtatem eſſet adeptus. *Sigon. de antiquo jure civium Roman. l. 1. c. 2.* Et mendici, atque ſupra modum pauperes non videntur in civitate ferendi, aut hujus jure donandi: ſiquidem rationi difficulter obediunt. *Ariſt. Polit. 4. c. 11.* Sunt plerumque leves, & petulantes. *Idem ibid.* Et lex eſt Platonis; Nemo in noſtra civitate mendicus eſto, quiſquis id tentarit, & miſerabilibus precibus ſtipem, victumque collegerit, eum Præfecti è foro, F Ædiles tota urbe, agrorum præfecti tota regione exterminent. *lib. 11. de legibus.* Rationes iſtæ ſunt: quia miſerabilis, & commiſeratione dignus non eſt is, qui fame, aut ſiti laborat, aut tale quid patitur, ſed is, qui virtute præditus, in miſeriis, & calamitatibus per aliquam occaſionem verſatur. *Idem ibidem.* Deinde qui è divite pauper eſt temerè factus, & bona ſua divendit, nullius amplius civitatis pars eſt, non mercator, non opifex, non miles, ſed tantùm pauper, & egenus vocatur. *Idem libro octavo de Republ.* Tertiò bonorum talis decoctor, quemadmodùm fucus in foro naſcens examinis eſt morbus: ita in domo ſua naſcitur veluti morbus Reipublicæ pernicioſus ſibi, & toti civitati eſt. *Ibid.* Quartò, in ea civitate, in qua mendici conſpiciuntur multi, multi quoque reperiuntur fures, latibula quærentes, & βαλαντιτόμοι, ſectatores crumenarum, ſacrilegi, aliorum ſcelerum artifices. *Ibidem.* Et hoc obſervandum diligenter eſt propter mendicos, diſſolutos, prodigos, & vagabundos, qui nuſquam, & tamen ubique manent: non laborant, & tamen manducant. Non enim Philoſophi de illis loquuntur, qui profani, qui decrepiti, qui ægroti, qui infortunati, & exules, propterea commiſeratione digni.

G Poſtremò etiam ſervi apud pleraſque nationes ex albo ſunt civium exempti: propterea quod tales deformare Rempub. videntur. Quanquam hanc ſententiam quidam oppugnant, & ſervos æque, atque liberos civitate eſſe donatos autumant his argumentis. Quod primùm divinum animal inſtar pecudum habere arrogantis ſit hominis. Deinde in humano quoque corpore membra reperiantur nonnulla ita pudenda, ut nemo verecundè ea nominare, aut revelare debeat: nec tamen propterea corporis eſſe membra deſinant. *Bodinus l. 3. de Rempub. cap. 8.*

* DE CIVIBUS, ET INCOLIS.

Quales habere, & eſſe in civitate conveniat.

Sequitur de illis ut agatur, qui civium numero, & loco habendi, urbis agnoſcendi partes ſunt: ubi brevitati ſtudendum, & oſtendendum erit, quare cùm literati, tum illiterati ſint in civium album conferendi, ut reprehenſionibus occurratur: commendentur illi, qui Rebuſpublicis & ornamento, & emolumento ſunt, etiamſi à nonnullis vix quintæ, quod ajunt, H claſſis eſſe judicentur.

Et quidem ad facultates ſuperiores quod attinet: ſunt in Republica neceſſaria. Primò Theologi, ſactum, pietatis, & religionis Antiſtes, cujus præcipua cura in Republica eſt ſuſcipienda. *Plato 2. de Repub.* Quia finis vitæ noſtræ primarius, & meta, ad quàm collimandum, Dei cultus, & honos eſt. *Plato 4. de legibus*, Reipublicæ fundamentum, ac propugnaculum religio. *Idem 4. de Republ.* Vera ſapientia, ac virtus, Dei cognitio: inſcitia contra, ac improbitas ſumma, ignoratio. *Idem in Theæteto.* Fundamentum legem, & virtutum omnium Dei metus, & cognitio. *Cicero 2. de legibus, & in oratione pro Plancio.* Fons felicitatis publicæ. Unde illud Sibaritis oraculum redditum.

Semper eris felix, venerans gens numina Divum:
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem,
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

Athenæus l. 12. c. 6. Et Romani non numero Hiſpanos,

non

non robore Gallos, non calliditate Pœnos, non artibus Græ- A cos, non denique hoc ipſo hujus gentis, ac terræ domeſtico, nativoque ſenſu, Italos ipſos, ac Latinos, ſed pietate, & religione, atque hac una ſapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi, gubernarique perſpexerunt, omnes gentes, ac nationes ſuperarunt. *Cicer. de Aruſpicum reſponſis*. Privatim quoque religio plurimùm commodat: quia minus illius inſidiæ ſtruuntur, qui ob pietatis, & religionis ſtudium Deum defenſorem habent. *Ariſt. 2. Rhetor. de confidentia*. Neque ulla ſine Deo mens bona eſſe poteſt. *Sen. in Epiſt. 41. ad Lucian.* Quod in navi eſt gubernator, in curru auriga, in choro choragus, lex in civitate, dux in exercitu: id Deus in mundo eſt. *Ariſtot. in lib. de m[illegible].* Et facilius urbs condi poteſt ſine ſolo, quam civitas co[illegible] aut conſtare opinione, penitus de diis ſublata. *Plutarchus adverſus Colotem*. Itaque legimus tranſlata eſſe, & mutata, & vaſtata regna, & imperia propter unicum contemptum religionis. *Deuter. 28.* Et hic idem contemptus contemptum magiſtratus parit, *Plato 4. de Republ.* Et ingentis pœnæ loco Propheta minatur, fore ut multi in Iſrael dies abſque Deo vero, abſque ſacerdote, abſque doctore, abſque lege abeant. *Paral. 2.* B *cap. 15.* *Æſchines* quoque *in oratione de falſa legatione*, audiendos eos eſſe monet, qui patriis de ritibus docere alios cupiunt. Et Jureconſulti, ac leges de ſacroſanctis Eccleſiis, & earumdem privilegiis, de Epiſcopis, & clericis præclara multa habent. *Cod. l. 1. tr. 2. & 3.* Hinc quoque Galli commendantur à Cæſare, quod juventutem prius de his docerent, quæ ad religionem facerent, deinde, quæ prodeſſent ad Rempub. capeſſendam *lib. 6. comment. de bello Gallico*. Laudantur Romani, qui ſingulis annis aliquot principum filios Hetruſcis tradiderunt in diſciplinam, ut ſacra diſcerent ante omnia, negotiorum in urbe poſt directores futuri. Et primas ſemper in deliberationibus religioni tribuerent. *Val. Max. l. 1.*

Poſt Interpretes religionis, ad antiſtites legum jure conſulto ut veniatur, neceſſe eſt. Videtur hos improbare *Plato*, cum *lib. de Repub. 3.* turpe eſſe docet, & magnum argumentum imperitiæ, in eas anguſtias adduci, ut cogantur uti jure quodam advectitio, & mutuato ab aliis propria juris penuria. Indicium idem eſſe affirmat malæ conſtitutæ Reipub. ſi multi Jureconſulti in ea inveniantur. *Ibid.* Qui totum tempus vitæ in foro, & controverſiis conſumant. *Ibid.* Et multi C non ſine jure quidem, ſed tamen ſine Jureconſultis vivere volunt: quod de Ungaris refert Vives, *lib. 7. de cauſis corruptarum artium*. Et *Cuſpinianus*, Fridericum III. Jureconſultos mediocriter dilexiſſe refert: quod diceret, Juris æquitatem ab illis inverti, fœdari juſtitiam. Quod tamen non de Jureconſultis veris, ſed fori tintinnabulis, & rabulis intelligendum, qui aliquot juris formulis memoria mandatis dominari in foro conantur, clientulos ſuos eruſcant, & exhauriunt, dum lites ſerunt, & alunt, non tollunt. Jureconſulti veri juris ſacerdotes meritò appellantur. Juſtitiam namque colunt: boni, & æqui profitentur notitiam: æquum ab iniquo ſeparant: licitum ab illicitò diſcernunt: bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione efficere cupiunt, philoſophiam veram non ſimulatam ſectantur. *Digeſt. tit. 1.* Similes ſunt Scholarum magiſtris, qui diſcipulis litteras quaſdam præſcribunt, quas ipſi exprimant. *Plato in Protagora*. Unde horum domus Cicero civitatis oracula vocat. Ad Jureconſultos enim olim ſic veteres adibant, ut non ſolùm de omni jure civili, verùm etiam de omni officio, & negocio referretur. *3. de Orat.* Et ſine Jureconſultis rectè A- D riſtoteles affirmat, civitatem rectè, feliciterque habitari non poſſe: propterea quod de commodis, & juſtis judicium reddendum Jureconſultis. *Polit. c. 3. 8.* Ac ſanè ſicut morbi corporum medicorum inventis curantur: ita immanitas animorum legumlatorum exterminatur prudentia. *Demoſth. Oratione 2. contra Ariſtogitonem*. Leges ſunt Rerumpublic. vincula. *Plato 1. de Legibus*. Fundamenta libertatis. *Cicero pro Cluentio*. Vitæ humanæ ſolatia. *Caſſiodorus l. 3. variarum*. Veluti muri magiſtratuum contra vulgi importunitatem. *Leo imperator in proœmio Conſtitut. novell.* Non excludendi, & exterminandi è civitate Jureconſulti erunt, qui legum cuſtodes, & interpretes. Atque hanc ob cauſam Plato annum agens 86. juris civilis peritiam ſibi acquiſivit. *Val. Max. lib. 8. c. 7.* Alexander Severus Imp. ſine Jureconſultis magnum aliquid non decrevit. *Pontan. de magnanimitate*. Juſtinianus Tribonianum, Theophilum, Dorotheum amavit, & coluit. *Cuſpinianus*.

Ad Medicos, quod attinet, inventi ſunt quidam, qui his non uſque adeò honorem magnum tribuerunt, aut locum conceſſerunt in urbe. De Græcis queritur Cato, quòd om- E nia corrumpant Romæ, maximè cum Græcos medicos eo mittunt. *Plin. l. 29. c. 1.* Et ibidem Æſculapii templum fuit extrà urbem extructum, ut inde colligeretur, neceſſitate, non voluntate aliquid Medicinæ Romanos tribuere. *Plin. eodem in loco*. Ac notum illud Adriani Imperatoris, qui moriturus dixit. Multorum medicorum turba me perdidit. *Dion. in Adriano*. Ac ſentit ita Plato, profligatæ, & turpis educationis, proſtitutæ diſciplinæ in Repub. argumentum eſſe, ſi cujuſvis ordinis homines medicorum opera indigeant. Abſurdum idem eſſe contendit, homines medicorum auxilio opus habere non vulnerum ſanandorum, aut popularium tantùm morborum cauſa, qui aeris intemperie pro animi conſtitutione naſcuntur, ſed illorum morborum gratia, qui propter deſidiam, & diſſolutum victum oriuntur *3. de Republ.* Sed ut non malè hoc à Platone adſertur: ita non Medicorum interim authoritatem elevat. A Deo enim eſt omnis medela: altiſſimus de terra medicina, medicum creavit. *Eccleſ. 38.* Scriptura eadem medicum honorare jubet propter neceſſitatem *ibid.* Affectionibus enim variis corpus noſtrum obnoxium, non impatibile eſt, ut adamas: duplices corruptio- F nis habet cauſas: alteras internas, alteras extrinſecus incidentes: ubi medendi ſcientia requiritur, ſunt medici neceſſarii. *Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda, cap. 4. & 7.* Immò ægrotare incipimus, mox ubi naſcimur. *Aug. ſuper Pſ. 11.* Quod magis eſt, tota hominis vita nihil, niſi morbus perpetuus eſt. *Idem ſerm. 73.* Et hi morbi non per ſe curantur, aut valetudo ſolùm ſuſtentatur corporis notitia, & obſervatione eorum, quæ aut prodeſſe, aut obeſſe ſolent, & continentia in victu, atque cultu corporis, & prætermittendis voluptatibus, verùm etiam arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Hanc ob cauſam, qui rem familiarem adminiſtrant, & præſunt Reipubl. magiſtratus; curare ſuorum valetudinem jubentur. *Ariſt. Polit. 1. c. 10.* ſed ita ut non quoſvis Medicos in urbe admittant: ſed tantùm ante exploratos, & probatos, *Plato 5. de Repub.* Et laudatur Julius Cæſar, qui eos, qui veram Romæ medicinam profitebantur, civitate donavit, *Suet. in ejus vita*. Et Græci commendantur, qui Hippocrati eoſdem quos Herculi honores decreverunt, quod peſtem venientem prædixiſſet, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes miſiſſet. *Plin. lib. 7. cap. 37.* Adfert quoque *Philippus Comminæus* Ludovicum XI. Gallorum regem, medico ſuo Cau- G terio ſingulis menſibus decem millia aureorum dediſſe, ut vitam prorogaret. Et denique commendatum omnibus eſſe illud Iſocratis debet, qui diſcipulos ſuos monuit, ut valetudinis ante omnia curam haberent: ac partim à peritis, quæ poſſent, diſcerent: partim per omnem vitam ſe ipſi obſervarent: quinam cibus, qui potus, qui labor ipſis conduceret; & quo pacto his uſi quam optima valetudine uterentur. *Xenophon. memorab. lib. 4.*

Quemadmodum verò facultatum ſuperiorum eſt magnus in Republ. ac civili ſocietate uſus, ita non negligendi illi ſunt, qui in Philoſophia excellunt. Sunt plures quidem Domitiani tempore partim interfecti, partim pulſi urbe, totaque Italia, quòd operam Philoſophiæ darent. *Xiphil. in Domitiano*. Ariſtotelici ſunt libri combuſti Alexandriæ. *Idem in Antonio Caracalla*. Et Socrates eos, qui in Philoſophiæ ſtudiis longo ſunt tempore verſati affirmat ridiculos eſſe, ubi ad forum venerint: eo quòd otio diuturno, ac ſumma in tranquillitate vixerunt. *Plato in Thæteto*. Perſonarum à muneribus Valens Imperator immunes, atque liberos vult eſſe Philoſophos. Reddatur, inquit, unuſquiſque patriæ H ſuæ, qui philoſophiæ habitum indebitè, & inſolenter uſurpare cognoſcitur: addita hac ratione: quia turpe eſt, ut patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe poſſe profitetur. *Cod. lib. 10. tit. 52. de Profeſſoribus, ac Medicis*. Reipſa deprehenditur, eos, qui ad Philoſophiam animum appulerunt, & diutiùs in hoc ſtudio verſati ſunt, moribus peregrinis, & importunis præditos eſſe, aut reddi inutiles ad Remp. capeſſendam. *Plato 6. de Repub.* Sed non quia indebitè, & inſolenter Philoſophiæ habitum uſurpant, ſunt barba, & pallio ſapientes: Idcircò, & veri Philoſophi excludendi; nec illorum ſtudium contemnendum, qui ſapientiæ dant operam; etiamſi multitudo imperita de his minus dextrè ſentiat, aut judicium perverſum adhibeat; huic occaſionem illi præbeant, qui falsò Philpſophiam ſibi vindicant. Nam & ille ipſe Plato non priùs affirmat finem malorum futurum in Rebuſpubl. quam Philoſophi in illis ſummam rerum obtineant. *6. de Repub.* Vel reges ſunt, & optimates, ger-

mana

mana quadam ratione philoſophentur. *5. de Repub.* Et ſunt A Philoſophi Pentathli, Quinquertiones, quia omnium artium generales rationes intelligunt. *Plato in Dialogo, qui Amatoris, ſeu Philoſophia inſcribitur*. Eſtque magnum reverà illud, quod qui verè philoſophantur, ſua ſponte agunt, quæ cæteri legum metu faciunt. *Plut. de amore virtutum*. Neque quicquam Philoſophia eſt aliud, quam vitæ lex. *Senec. epiſt. 95.* & gubernaculum per mancipia fluctuantium dirigens curſum, monens, ut caſum quiſque adverſum commodè ferat. *Idem epiſt. 16.* Extrahens vitia radicitus, ad ſtatus accipiendos animos præparans. *Cicer. 2. Tuſc.* Atque hanc ob cauſam *Ariſtoteles* pacis tempore eſſe Philoſophiæ operam dandam ſcribit: quia omnis ſocietas civilis ad bellum, & pacem eſt accommodanda. Ad bellum duo requiruntur: Fortitudo, & conſtantia: ad pacem Philoſophia, ad utrumque temperantia, & juſtitia. *Polit. 7. cap. 15.* Et pulchrè ratio redditur, quare artes liberales, & ſtudia Philoſophica negligantur à *Plinio*: Cùm poſtquam, inquit, ſenator cenſu lectus, judex fieri cenſu, nihil magis exornare magiſtratum, ac ducem cœpit: omnes artes, quæ à maximo bono liberales ſunt dictæ, in contrarium cecidere. *lib. 14. in Proœm.*

B Quemadmodùm verò ſunt politia, & urbe digni veri Philoſophi, non inſolentes, & indocti Sophiſtæ: ita Oratorum quoque diligens ratio habenda, etſi apud quoſdam etiam ipſi minus commodè audiant. Videntur enim uti ea lege, ut omnia mendacio, ac ſimulatione tegant: populorum motus, legum abrogationes, mutationes religionum, rerumpublicarum converſiones, & interitus: mala alia his accepta ferantur. Deinde oratio etiam quo magis ad ſplendorem, & ornatum accidit, eo à veritate recedit longius. *Plato in Antiocho*. Tum & Lacedæmonii parum oratoribus tribuerunt. Accedit huc & illud, quod judicia Oratores corrumpere videntur: & plus his nocent, quàm qui largitionibus utuntur: quod pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. *Ammianus Marcellinus lib. 20.* Verùm hæc omnia non impediunt, quo minus Oratoribus in Repub. locus concedatur. Et enim omnium rerum, & quidem præſtantiſſimatum ea conditio, ut his perperam homines utantur. *Ariſt. Rhetoric. 1. cap. 1. Quintil. lib. 2. cap. 17. Cic. 1. de Inventione*. Nec ſunt Oratores habendi, quorum orationes verborum tantùm ſplendorem habent, & ornatum; ſententiis prudentibus carent. Lacedæmonii verò etiam alia ſtudia, & libera- C les artes contempſerunt, utpote toti armis dediti. Et ſunt amandi, ac colendi oratores: quia nullæ principum opes, ac legiones plus valent, quam admirabilis dicendi vis, & facultas ejus, qui populorum animos languentes erigere, & ad bellum inflammare, & ad vim paratas exarmare, & ardentes ad virtutem cohortari, & à vitiis acriter revocare, & ad mores hominum accommodare orationem, à benevolentia ad odium, ab odio ad benevolentiam deducere poteſt. *Bodinus de Repub. lib. 4. cap. ult.* Eſt ſceleratis exitio, innocentibus præſidio, improbis terrori, ornamento probis. *Idem ibid.* Et eſt neceſſarius uſus Oratorum in veritate, ac juſtitia defendenda. *Ariſtot. Rhetoric. 1. cap. 1.* in conſtituenda arca ſalutis. *Idem in præf. Rhet. ad Alexand.* in vertenda ſenatus gravitate, in ferendo auxilio ſupplicibus, in excitandis afflictis. *Cic. 1. de Orat.* Neque alia ratione regi multitudo, inque poteſtate haberi poteſt, niſi orationis præſidium adhibeatur. *Plutarchus in præceptis Reipub. gerendæ*. Quemadmodùm enim ſerpentes verborum quibuſdam illecebris capiuntur: ita hominum ferociſſimorum barbaries, atque feritas Eloquentiæ dulcedine, ac ſuavitate miteſcit. *Bodinus lib. 4.* D *cap. ult.* Et ſi ſeditiones tum in caſtris, tum in civitatibus ſunt crebræ, & ſummè pernicioſæ: compeſci nulla alia ratione iſtæ poſſunt, quàm ſi Oratores adſint, qui ſapienter dicendo eas compeſcunt, ac ſedant. Idem faciunt, quod Medici; qui morbos, & vulnera periculoſa à putredine conſervant. *Ariſt. Polit. 5. c. 5.* Ut nihil dicamus de legationibus. Eſt legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum, *Cæſar. l. 3. de bello Gallico. Tacitus l. 3.* Sunt legati oculi, ac aures regnorum. *Guicciardinus l. 5. hiſtor.* At ſuam hi authoritatem non tuentur, niſi eloquentes, & oratores boni extiterint: oportet enim tales lingua eſſe inſtructos ab omni parte: ut quovis diſputationum genere poſſint palmam obtinere: nec aliena lingua uti cogantur. *Gregoras l. 6. hiſtor.* Et refert *in Pyrrho Plutarchus*, quod Pyrrhus ipſe faſſus fuerit, plures à Cynea Oratore, ac legato ſuo oratione urbes, quàm à ſe armis expugnatas eſſe.

OFFICIA CIVIUM.

E Cùm Civis ſit membrum ejus ſocietatis, quam civitatem dicimus, atque ob id in unum coeant, inquit *Iſidorus lib. 9. cap. 4.* ut vita communis, & ornatior ſit, & tutior; Illius officium eſt conſiderare civitatem, tanquam animal unum ex civibus, tanquam partibus, ac partem toti, non totum parti ſervire debere: quando enim partis tantùm commodum quæritur, utriuſque, ſcilicet tam partis, quàm totius commodum prorſus omittitur: quando verò totius quæritur bonum, utriuſque ſervatur. Igitur meminiſſe debet civis, nihil ſive boni, ſive mali, alicui civitatis membro poſſe contingere, quin propter connexionem quandam ad cætera membra pertineat: neque totum nihil rurſus toti civitatis corpori evenire poſſe, quin mox ad ſingula animalis hujus membra pertineat. Nemo igitur in hac urbana familia dicat, Meum hoc, & illud tuum: omnia enim in hoc ingenti animali quodammodo commoda ſunt, ſed dicat, Meum hoc, & illud, non poſſeſſione quidem propria, ſed affectu potius, atque cura. Patriam quiſque tanquam parentum parentem amet, & colat. Privatus antiquis, probatiſque legibus obediat, tanquam Deo. Non enim abſque Deo hujuſmodi leges conſtituuntur. Magiſtra- F tus meminerit non aliter ſe legibus, quam privatum magiſtratibus eſſe ſubjectum, intelligat ſe, cùm judicat, judicari. Platonis præceptum ſemper ante oculos habeat, ut non ſeipſum, ſed civitatem: non partem civitatis aliquam, ſed univerſum reſpiciat. Sciat denique optimum in cœleſti patria huic ſervari locum, qui terrenam patriam ad cœleſtis exemplar pro viribus diſpoſuerit. *Marſilius Ficinus lib. 1. Epiſt. ad Petrum*.

Boni civis prima laus eſt parere rectoribus, contra nihil & cive tetrius, nihil pernicioſius, qui ſuperbiam, protervitatemque ſuam illis opponat: hinc ſeditionum ſemina, labeſque rerum publicarum, ex magiſtratuum enim contemptu legum oritur deſpicatio, quæ res civilem omnem tranquillitatem perturbat, labefactatque publicam utilitatem. *Jovianus Pontanus lib. 5.*

* Civilitas.

Definitio, & Etymologia.

Civilitas Græcis πολιτικὸν, eſt virtus quædam in comi- G tate, & modeſtia conſiſtens, quæ maximè ſpectatur in converſatione, & commercio cum æqualibus, aut inferioribus, ac potiſſimùm convenit inferioris ordinis hominibus, non ita Principibus ſummis, quibus magis competit majeſtas; quæ tamen ſi temperetur civilitate, laudem meretur. Unde ab ea extollit Auguſtum Suetonius, Antoninum Pium Julius Capitolinus; Alphonſum Aragonum Panormitanus; alios Principes alii. Convenit autem civilitas omni ætati, & ſexui, & per eam habitatores urbium dummodo probè educentur, ab agreſtibus, & foraneis ſecernimus. Quæ autem in moribus ſervanda exprimit *Ovidius*.

CIVILITAS MORUM.

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora campo,
Sit bene conveniens, & ſine labe toga.
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Quid ſi præcipiam, nè fuſcet inertia dentes, H
Oraque ſuſcepta mane laventur aqua?
Nec malè deformet rigidos tonſura capillos,
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues,
Inque cava nullus ſtet tibi nare pilus.
Nec malè odorati ſit triſtis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque paterque gregis.
Sint modici riſus, parvæque utrinque lacunæ,
Et ſummos dentes ima labella tegant.
Nec ſua perpetuò contendant ilia riſu,
Sed leve neſcio quid, fœmineumque ſonet.
Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris,
Allicit ignotos illa, fugatque viros.
Carpe cibos digitis, eſt certus geſtus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neve domi præſume dapes, ſed deſine circa,
Quam cupias, paulò quam potes eſſe minus.

Ne